



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**


Liber CXLVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXLVI.



JULIUS III. PONT. MAXIMUS,  
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Cæsaris Oratores ad Julium III.  
Neo-electum Papam ablegati.*

Cum Synodi restauratio per Pauli III. Sæcul. XVI.  
obitum magis expedita reddere- A.C 1550.  
tur, atque aliunde Julius III. ejus- Pallav. hist.  
dem Successor juramenti Religione sese Concil. Trid.  
cum lib. I. c. 8. n. I

Sæcul. XVI. cum ceteris Cardinalibus obstrinxisset, quod interrupta Concilii negotia rursus profequi vellet, hinc Cæsar totus etiam in eo erat, ut pacem Imperio redderet, ipsosque insuper Protestantes eo adigeret, ut se se tam augusti conventus definitionibus submitterent. Eapropter vix novi Pontificis electionem in Flandria edoctus, confestim Ludovicum de Avila supremum Ordinis Alcantarini Magistrum nominabat, dato negotio, ut Cæsar nomine submissionis obsequium eidem præstaret, obtentumque Pontificatum gratularetur, præcipue vero de Synodi, cujus continuationem, ac prosperum exitum Imperator peroptabat, negotiis cum novo Pontifice ageret.

*Anton. de  
Vera hist. du  
Charles V.  
p. 270.*

## §. II.

*Pontificis consilium de restauranda  
Synodo Cæsari manifestatum.*

*Pallav. l. c.* Hunc Oratorem recens electus Pontifex non sine ingenti lætitia excipiebat, officiosamque Cæsaris salutationem singularibus benevolentiae signis compensabat, quamvis ceteroquin de Concilii rebus tunc parum fuisse actum videatur, eoquod novus Pontifex vix electus jamjam Franciscum Toletanum  
Caro-

Carolus Cæsarem ablegabat, ut eidem significaret, quod Synodum ad Tridentinam Urbem revocare, eamque prosequi animo constituisset, quamdiu illius continuationem Religionis honor, atque salus deposceret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

§. III.

*Cæsaris edictum contra hæreticos.*

Sub idem tempus Imperator, ut piæ Pontificis voluntati vicissim novum sui pro vera Religione studii specimen redderet, severissimum promulgari jussit edictum adversus omnes, & singulos, qui præter Religionem Catholicam cuiuscunque alteri sectæ nomen daturi essent: Ut vero hujus legis executio urgeretur, plura instituit tribunalia, Inquisitionis Curiaè haud absimilia, simulque judices selegit flecti nescios, qui in hujus edicti transgressores poenis ab ipsomet Cæsare sancitis severe animadverterent, eosque sine spe veniæ castigarent.

*Sleid. comm. de stat. Relig. Reipubl. lib. 22. p. 781. edit. ann. 1556. Heiff. hist. de l'empire t. I. l. 3. p. 297.*

Exeunte Mense Aprili Imperator Bruxellis discedens Augustam ad comitia, quæ ibidem celebranda indixerat, contendit, priusquam vero inde abiret, præfatum edictum promulgari jussit, cujus tenor erat sequens: *Quamquam, inquit Cæsar, id operæ dederim semper, ut meos intra fines antiqua, & vera Religio*

*Hist. Eccles. Tom. XL. I serva-*

Sæcul. XVI. servaretur, etsi totus in hoc semper fuerim,  
 A.C. 1550. ut, qui multis nunc annis per Orbem Chri-  
 stianum disseminati sunt errores, Hæreses,  
 atque Sectæ funditus tollerentur, licet hoc  
 nomine varia subinde proposuerim edicta,  
 gravissimasque pœnas, magno tamen cum a-  
 nimi dolore accepi, non meæ solum ditionis  
 homines, verum exteros etiam, qui nostris  
 in Provinciis habitant, atque negotiantur,  
 hujusmodi contagiones longe, lateque in  
 promiscuam multitudinem diffundere: sic ut  
 plane sit opus, acrem aliquam adhibere me-  
 dicinam, & in fontes diligenter inquirere,  
 ut ea pestis extirpetur radicitus, quemad-  
 modum in postremis conventibus Provincia-  
 rum Præfectos, & Ordines admonui, ut  
 pro se quisque diligenter in hanc curam in-  
 cumberent, & in veteri, atque Catholica  
 Religione permanerent: præsertim, cum sit  
 omnium oculis expositum, quas turbas, at-  
 que seditiones in vicinis populis excitarit ea  
 labes, ut interim de salutis, & animarum  
 dispendio nihil dicam: itaque de consilio cha-  
 rissimæ sororis germanæ, & reliquorum  
 Procerum, novam hanc legem fero, & si-  
 mul edico: I. Ne quis omnium, quicumque  
 sit ille demum, habeat, emat, aut distribuat  
 Lutheri, Oecolampadii, Zwinglii, Bucerii,  
 Calvinii, & quoscunque tandem libros, edi-  
 tos annis abhinc triginta, incertis auctori-  
 bus, ut amplius in Theologorum Lovaniensium  
 catalogo continentur: II. Ne quis ul-  
 lam

lam habeat picturam, aut imaginem pictam  
 in ludibrium, atque contumeliam diuæ Vir-  
 ginis, atque Sanctorum, neve deiciat, aut  
 infringat ullam imaginem, in honorem ali-  
 ejus diu depictam: III. Ne quis domum suam  
 conventibus occultis aperiat, in quibus &  
 disseminari solent errores, & homines reba-  
 ptizari, & conspirationes in Ecclesiam, at-  
 que rempublicam fieri: IV. Ne quis de sacra  
 Scriptura maxime de rebus dubiis, atque  
 difficilibus, privatim, aut publice disputet,  
 aut ejus interpretationem sibi sumat, nisi sit  
 Theologus, qui probatæ alicujus Academicæ  
 testimonium habeat. Hi, qui secus fecerint,  
 punientur ut seditiosi, & publicæ tranquil-  
 litatis perturbatores, ac viri quidem gladio  
 ferientur, fæminæ autem in terram deso-  
 dientur, si quidem ab errore desissent: si ve-  
 ro pertinaces erunt, exurentur, publicatis  
 ipsorum bonis, utrumcunque luant suppli-  
 cium: ad hæc, testamenti faciendi potestatem  
 nullam habebunt, & quidquid ejus rei fece-  
 rint, a quo primum tempore legem hanc no-  
 stram violare cæperunt, irritum esse jubeo:  
 præterea, ne quis hospitium præbeat, aut  
 ulla re subueniat iis, quos de hæresi novit  
 suspectos, mando: verum denuntiet statim  
 inquisitori, vel loci Præfetto, subiturus  
 panam, nisi faciat. V. Qui non malitia,  
 nec obstinatione, sed per infirmitatem lapsi  
 fuerint in hæresim, & errorem, neque ta-  
 men in hanc nostram legem commiserint, nec  
 I 2 sed-

Sæcul. XVI. seditiose quid fecerint, & sponte redierint  
A. C. 1550. ad sanitatem, & abjurations facta re-  
 cepti fuerint in gratiam, nullum posthac  
 sermonem inter se conferant de rebus ad fi-  
 dem, atque Religionem pertinentibus, alio-  
 qui plectentur, ut in crimen relapsi. VI.  
 Qui non convictus quidem, sed admodum su-  
 spectus de hæresi, damnatus fuerit, ut vel  
 abjuret, vel publice satisfaciat, & idem  
 post accusatur hæresis, mulctabitur ut in  
 crimen relapsus. VII. Iis, qui sunt hæ-  
 resicos, & id genus criminum macula pol-  
 luti, licet in gratiam recepti fuerint, nul-  
 lus honor, nullum munus publicum, nulla  
 dignitas communicabitur, nisi testimonium  
 quis adferat ab Ecclesie ministro ejus loci,  
 ubi postremo vixit, nec permittatur ei do-  
 micilium, vel habitatio, nam ejusmodi pro  
 suspectis haberi debent. VIII. Præfetti lo-  
 corum, & reliqui nostri beneficiarii per su-  
 am quisque Provinciam diligenter inquirent  
 in eos, qui legem hanc violabunt, sed & in-  
 quisitoribus, & iudicibus Ecclesiasticis opem  
 ferant, ut in quibus culpa residebit, com-  
 prehensi pœnam luant juxta formulam, quam  
 Inquisitoribus præscripsi: nisi faciant, ar-  
 bitrio nostro luent. IX. Procurator eti-  
 am publicus cognoscat, an suum illi munus  
 faciant, & si negligentiam in eis deprehen-  
 derit, in iudicium venire jubeat, & si deli-  
 quisse apparebit, aut magistratus illis abro-  
 getur, aut alia, quæ videbitur, pœna con-

constituatur. X. Episcopi præterea, & Sæc. XVI.  
 Archidiaconi & Abbates, & id genus alii A.C.1550.  
 Proceres investigent omni studio, si quis Or-  
 dinis Ecclesiastici sit infectus eo morbo, &  
 severe vindicent. XI. Qui contaminatum  
 aliquem hac peste norunt, vel quibus in locis  
 commorentur, & delitescant hæretici, com-  
 pertum habent, illico deferant: nisi faciant,  
 eandem, quam illi pœnam luant. Porro de-  
 lator, si modo non vana fuerit accusatio,  
 dimidiam partem bonorum illius consequetur:  
 quæ quidem bona sexcentos aureos non  
 excedent, nam quicquid erit supra hanc sum-  
 mam, ejus decima pars illi detrahatur. XII.  
 qui conventus occultos inquisitori detegit,  
 etiam si consilia cum illis contulit, non ple-  
 detur, modo & de Religione bene sentiat,  
 & in posterum absteineat: sed qui remotus  
 ab eorum societate deseret, præmium con-  
 sequitur, ut supra dictum est. XIII. Pœ-  
 næ, quas constituimus, irrogentur omnino  
 tales, neque sit in ullius potestate, illas vel  
 mutare, vel mitigare, quod sæpe factum  
 esse intelligo, nam qui judices in eo delin-  
 quent, non ferent impune. XIV. Qui de  
 hæresi accusati, & in jus vocati profuge-  
 runt, ac postea proscripti sunt, ubi de so-  
 ciis criminum jam mortuis acceperunt, sup-  
 plicare solent, ut ad purgationem admit-  
 tantur, quando quidem probari crimen am-  
 plius non posse putant, eoque fit, ut re-  
 versi falsam doctrinam, & errores iterum  
 I 3 diffun-

Saecul. XVI.  
A.C. 1550.

diffundant: id vero ne fiat, publice interest, itaque mando, ne locus ullus detur ipsorum postulatis, verum ut omnes, qui citati non comparuerunt, sed fuga salutem quaesiverunt, habeantur pro convictis, atque damnatis. XV. Qui pro suspectis, & fugitivis, & proscriptis, & anabaptistis intercedunt, habeantur pro fautoribus haereticorum: Iudices autem, atque praefecti neminem ex illis in gratiam recipiant, nisi vel meo, vel fororis Germanae permissu, qui secus agent, iis abrogabitur praefectura. XVI. Librarii nihil excudant, nihil divendant, aut distrahant rei sacrae, nisi de voluntate, & consensu eorum, quibus haec erit demandata cura: si quid etiam ipsorum operae in eo deliquerint, ipsi praestabunt, & quia catalogus extat librorum, quos Academia Lovaniensis rejecit, librarii suis in tabernis eum habeant suspensum, & ob oculos positum, ne ignorantiam obtendant, vel ipsi, vel emptores: deinde alterum habeant omnium suorum librorum catalogum, qui non parebit, centum aureis muldetur. XVII. Pueros etiam erudiendos nemo suscipiat, nisi permissu Magistratus, & praecipue Ecclesiae Ministri, nihil autem doceat, aut juventuti proponat, nisi juxta formulam a Theologis Lovaniensibus conscriptam.

## §. IV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.*Lutheri affectæ, necnon Antverpienses  
Mercatores hoc edicto exacerbati.*

Hoc edictum equidem ingenti Sedis *Sleidan. l. 6. p. 734.*  
Apostolicæ jubilo excipiebatur, necnon fervens Caroli Cæsaris studium amplissimis deprædicabatur elogiis; illud vero ægerrime ferebant Lutheri Sectatores, qui multos propterea tumultus suscitabant: Cum autem hoc edictum præcipue Flandriæ Provincias peteret, hinc magis adhuc perniciose feditio in Belgio concitabatur, terrore, ac desperatione sese per totam, qua late patet, Regionem diffundente: præcipue vero vehementer attoniti hærebant Germani, Anglique Mercatores, qui ibidem, & potissimum Antverpiæ sedem fixerant: igitur hi non sine maximo hujus urbis dispendio commercium interrumpere statuebant, imo eorum non pauci cum summa indignatione alio migrabant; illi vero, qui adhuc persisterant, aut neglecta negotiationis cura vivebant, aut posthabita boni publici salute, nonnisi propriis suis commodis intenti erant. Tandem tantopere excrecebant populi tumultus, ut Hungariæ Regina Belgii Gubernatrix Cæsarem Fratrem suum adire, eum-

Sæcul. XVI. que rogare cogeretur, quatenus edicti  
 A. C. 1530 sui severitatem temperare, ac præci-  
 pue *Inquisitionis* nomen cunctis gentibus  
 adeo exosum delere velit.

## §. V.

*Edictum a Cæsare duntaxat circa ex-  
 teros mitigatum.*

*Sleid. p. 784.* *Thuan. hist.* *lib. 7.* **P**ermolestæ quidem Cæsari acciderant  
 Reginæ propositiones, sui que edi-  
 cti æquitatem ardentè tueri studiosus,  
 nihil in eo innovandum declarabat,  
 tandem vero summis Sororis suæ preci-  
 bus expugnatus illa, quæ ad externos  
 in hoc edicto spectabant, revocavit, &  
 Inquisitionis nomen aboleri concessit;  
 indigenas tamen omnino huic legi sub-  
 jectos esse voluit, imo etiam, si qui  
 sese eidem oporterent, illos vi ad officii-  
 cium redigi præcepit. Verum hæc ip-  
 sa Cæsaris constantia novis tumultibus  
 fomitem subjecit; Illyricus enim hoc  
 edicto latine reddito impotentibus om-  
 nino furiis in Islebium, atque Agrico-  
 lam debacchabatur, eo quod hi populo  
 persuadere niterentur, hoc edicto nulla-  
 tenus Religionis causam agi. Præte-  
 rea Principes, ac Lutherani Ordines  
 gravem inde indignationem concepe-  
 rant, cumque Imperator quamdam ex-  
 ercitus sui partem Sacramento militiæ  
 fol-

solvisset, illi propterea animo erecti palam contra Decretum *Interim* reclamabant, etsi eorum nonnulli illud antea approbassent. Nihilominus Cæsar e Flandria discessit Augustam petiturus, ubi etiam unacum capto Saxonie Duce, quem secum ubique conduxerat, die vigesima sexta Julii advenit, Landgravium vero valido milite custoditum Mechliniæ reliquit; nondum enim, vehementer licet sollicitatus, utrumque hunc Principem libertati restituere constituerat, quamvis ob hanc repulsam Brandenburgicus Elector Landgravii focer, & Mauritius Saxonie Dux ejusdem Gener Augustanis comitiis interesse renuerent, neglecta etiam vehementi sollicitatione, qua Cæsar specialibus literis Augustam venire, ambos rogabat: hi tamen non deerant, quo minus suos Oratores eo ablegarent.

## §. VI.

*Nova comitia a Cæsare Augustæ indicta.*

Ceterum Imperator hæc comitia Augustæ celebranda ea ex ratione indixerat, ut Imperii Ordinibus piam Julii III. voluntatem in procuranda Christianæ Reipublicæ salute propensam manifestaret: hanc ob rem die decima ter-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Sæcul. XVI  
A.C. 1550.

tia Martii ad Imperii Status literas dedit his verbis conceptas: *Exeunte anno priori jam quidem meæ voluntatis fuit in Germaniam redire, verum ob Belgii tumultus, necnon propter filii mei adventum, & ob habitam cum per quasdam urbes comitandi curam ab hujus propositi executione præpeditus fui; nunc autem, cum jamjam in Germaniam proficisci pararem, illo ipso tempore allatus mihi fuit nuntius de Pauli III. Pontificis morte: mutavi ergo propositum, & novi Pontificis electionem expectavi: Julius deinde III. & de sua creatione mihi nuntiavit, & liberaliter admodum, atque prolixè, de sua in Rempublicam, atque Religionem voluntate pollicitus est: eo cognito mihi visum fuit, tantam, & tam optatam rei gerendæ occasionem non esse prætermittendam, præsertim, cum in eo salus tota Germaniæ consistat: ineunda igitur est ratio, ut ea, quæ superiori comitio decreta sunt, & inchoata, perficiantur: deinde providendum erit, ut & dissidiorum causæ tollantur, & obstinati quidam, atque rebelles coerceantur: his adeo de causis volo conventus agere ordinum Imperii, quam ob rem mando, ut ad vigesimam quintam Junii diem Augustæ Vindelicorum mihi præsto sint omnes, nec ulla re, quo minus ipsi veniant, impediri se patiantur, nisi valetudine, cujus tamen rei fidem facere debent jurati: Legatos vero mittant cum plenis,*

nis, & amplis mandatis agendi de rebus omnibus, quæ ad Rempublicam pertinebunt, ut ne qua mora deliberationibus, vel impedimentum inferatur.

Sæc. XVI.  
A.C. 1550.

§. VII.

*Congregatio a Pontifice habita pro dando responso ad Cæsaris postulata.*

Enimvero Julius III. Papa vix Pontificatum adeptus sacrum Collegium cuiusdam interesse voluit Congregationi, quæ ex iisdem Cardinalibus, atque Episcopis, quos Paulus III. ejus Prædecessor selegerat, constabat, & solus aberat Cervinus periculoso morbo decumbens: Itaque in hoc Patrum conventu decretum, quod Papa Petrum Toletanum ad Cæsarem, & Abbatem Rossatum ad Galliarum Regem ablegaret, dato negotio, ut utrique Principi pro sollicitudine, qua illius electionem promovebant, grates rependerent, ac paternam eis benevolentiam offerentes illos ad pacem, quæ unicum afflictæ Ecclesiæ levamen foret, hortarentur: speciatim vero Oratori ad Franciæ Regem ablegato injunctum, ut de Parmensi urbe mentionem inspergeret; Papa enim ex juramenti fide in conclavi ante suam electionem

*Pall. l. II. c. 8.  
n. 2. & c. 7.  
n. 1. & 2.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

electionem data Octavio Farnesio hanc urbem restituere, ac pro illius præsidio duo aureorum millia ad singulos Menses eidem assignare tenebatur, quinimo Camillo Ursino, ut expensas in propugnanda hac urbe factas eidem compensaret, viginti insuper aureorum millia numerare debebat. Attamen re comperta Galliarum Rex hanc Pontificis agendi rationem minime probabat; cum igitur Papa Regem haud abs re offensum pertimesceret, ut eundem placaret, Rosseto Abbati in mandatis dedit, quatenus Regi exponeret, quod hanc restitutionem omnino facere compulsus esset, cum jurejurando in sacris comitiis præstito ad id obstringeretur, nilque aliud intenderet, quam pacem, & concordiam inter Fratres reddere, omnemque belli prætextum submovere, ac denique Cæsarem ab occupanda hac urbe prævertere. Porro Toletano injunxit, ut Imperatori declararet, Pontificem ad convocandam Synodum pro restauranda Religione, ac pace paratissimum esse, dummodo pro parte sua Cæsar quoque omnia submovere vellet obstacula, quæ tam pium opus præpedire possent.

§. VIII.

## §. VIII.

Sæcul. XVI  
A.C. 1550.*Papæ consilium de Synodo Tridenti  
congreganda.*

**T**andem Oratoribus hisce abeuntibus *Pallav. l. c.*  
 Mendoza, qui Romæ Cæsaris nomine Legatum agebat, Mense Aprili ad medium vergente, Papæ persuadere a suo Principe jubebatur, quatenus Synodum in Tridentina urbe restaurare, hacque super re clarum reddere vellet responsum, in quo disertis verbis conditiones, quas præscribere bene visum fuerit, eo fine exponeret, ut Germaniæ Protestantes ad illas consensu suo firmandas adigi possent, hocque pacto haud ultra in dubio, ac incertitudine versari, necesse esset. Julius Cæsaris postulata per Mendozam edoctus omnes Cardinales convocari jussit, donec vero hac super re deliberatum fuisset, ex Germania Sebastianum Pighinum Archiepiscopum Sipontinum revocavit, ut ab eo de præsentis rerum statu circa Religionem in Imperio certiore hauriret notitiam, spe fretus, quod eundem paulo post remittere posset ad Lippomanum, & Bertanum, qui in Cæsaris aula remanserant. Porro quamvis in hoc Patrum Senatu Cardinalium opiniones in diversa abirent, nihilominus  
 post

Sæcul. XVI  
A.C. 1550.  
post maturas deliberationes unanimi suffragio in id conventum est: quoniam Cæsaris petitio specioso innititur obtentui, quo ipse Germaniam ad Sedis Apostolicæ obsequium redire, ac Religionem Catholicam revocare peroptat, sine populi offensione ejus precibus repulsa dari nequit, quinimo Tridentinæ Synodi restorationem denegare perinde esse videtur, ac si tacite declararetur, quod illius dissolutio in animo habeatur: igitur Cæsaris precibus benignas omnino aures esse accommodandas decernebatur. Hæc Patrum sententia ipsi etiam Pontifici magis expedita videbatur ad declinandas omnes molestias, quas forte Imperator eidem inferre potuisset, aliunde vero, si Synodum Bononiæ congregare voluisset, prius translationis causam a Paulo III. ad suum Tribunal evocatam decidere oportuisset, cum tamen id sollicitè præcavendum esset.

## §. IX.

*Pontificis opinio Cardinalium, atque  
Episcoporum judicio consona.*

*Pallav. l. 11. c. 8 n. 5. & 6.* Priusquam Pontifex suum animi propositum palam faceret, Cardinales unacum nonnullis Episcopis potissimum Cæsareis, aliisque sibi addictis con-

convocans (\*), eisdem Cæsaris postulata proposuit, cunctisque injunxit, ut libere edicerent, quicquid suæ conscientiae testimonio ad Dei gloriam, fidei, Sedisque Apostolicæ emolumentum magis conducere existimarent, si vero Cæsaris postulata acceptare, congruum fore censerent: simul etiam media ad id secure, ac honorifice exequendum opportuna proponere jubebantur. Ad hæc rursus omnes, prout in prima Congregatione, judicabant, Synodum a Papa esse continuandam, cum id non modo in sacris Comitibus, sed etiam post suam electionem spondidisset: „ hac enim ratione, inquiebant, Cæsari satisfacere, ac Germanis omnem querendam ansam præripere valerent. „ Placuit hoc consilium ipsi etiam Pontifici, qui postmodum de ipsius quoque Galliarum Regis beneplacito certior fieri peroptabat, ut & ipse Regni sui Episcopos eo decerneret, hocque modo ipsi Concilio omnis auctoritas eidem necessaria accederet,

(\*) Forte oblitus est Continuator, quod Pallavicinus ex monumentis omni fide dignis Paulum Sarpium loc. cit. num. 1. falsitatis convincat, eoquod hanc Congregationem non nisi ex Prælatibus Cæsaris, ac Papæ studio sit conflatam somniaverit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Sæcul. XVI. ret, ac pro Synodo Oecumenica haberi  
A.C. 1550. posset (\*).

## §. X.

*Sedis Apostolicæ Nuntii ad Cæsarem  
 ac Franciæ Regem in Synodi ne-  
 gotio decreti.*

Cum nemini ignotum esset, quod Gal-  
 liarum Rex multa opponere posset  
 obstacula, atque aliunde totis viribus  
 adlaboraret, ne Synodus Tridenti ce-  
 lebraretur, eoquod hæc urbs Cæsaris  
 Imperio esset obnoxia, hinc summus  
 Pontifex Guisium Cardinalem rogabat,  
 ut Regi Domino suo suggereret, nihil  
 Regni Privilegiis, aut Ecclesiæ Gallicanæ  
 libertatibus adversum a Synodo sancitum  
 iri, quinimo nullum decretum Rege  
 prius haud consulto promulgandum.  
 Insuper ipsemet Pontifex Regem hac  
 de re certum reddebat, missoque ad  
 eum Cursore significabat, quod ad il-  
 lum quantocius Sedis Apostolicæ Nun-  
 tium decreturus esset, a quo Papæ ra-  
 tiones

---

(\*) An ex unius Nationis Episcoporum  
 absentia desit auctoritas in Conciliis requisita,  
 ex illorum vero præsentia primum accedat  
 Oecumenicæ Synodi prærogativa, priscorum  
 Conciliorum acta declarant.

tiones plenius perciperet. Nec pro-  
 missis suis stare distulit Pontifex, solli-  
 citudinem acuentibus mandatis, vi  
 quorum Mendoza a Cæsare, qui jam-  
 jam Augustana comitia inchoabat, erat  
 jussus, ut Papam ad responsum mox  
 dandum, nec ultra differendum urge-  
 ret, eo fine, ut juxta responsionis te-  
 norem in comitiis decerneretur, quid  
 magis ad Germaniæ quietem conduce-  
 re valeret. Percepta ergo clara Cæsa-  
 ris voluntate Pontifex rem dirimere sta-  
 tuit, ac sine ullius moræ dispendio mox  
 Sebastianum Pighinum Sipontinum Præ-  
 fulem in Germaniam ablegavit, inde  
 vero Lippomanum, ac Bertanum re-  
 dire jussit, cum eorum operam in Ita-  
 lia magis necessariam arbitraretur. In-  
 super Antonium Trivultium Tolonien-  
 sem Episcopum tanquam Franciæ Nun-  
 tium nominabat, dato negotio, ut e-  
 quis veredariis vectus Papam eo prom-  
 ptius de Galliarum Regis consilio edo-  
 cere posset, cum is, priusquam ad ul-  
 teriora procederet, de Regis sententia  
 certus esse vellet.

§. XI.

*Mandata utrique Nuntio a Pontifice data.*

Diversa ambobus hisce Nuntiis da-  
 bantur mandata, & quidem Tri-  
 vultius

*Hist. Eccles. Tom. XL.*

K

vultius

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Pall. c. 8. n. 6.

Et c. 9. n. 1. 2.

Et 3.

Raynald. hoc  
ann. n. 16.

Pall. c. 9. n. 1.

Et seq.

Sæcul. XVI. vultius erat iussus Regi Christianissimo  
A.C. 1550. exponere rationes, ob quas Papa Syno-  
 dum ad Tridentinam urbem revocare  
 adigeretur. Erant autem sequentes  
 I. Id Imperator impense efflagitat. II.  
 Synodus Bononiæ continuari nequit,  
 quin legitimæ translationis causa prius  
 manifestetur, inde vero Pontifici illius  
 auctori tanquam suspecti Judicis contu-  
 melia inuri, & Protestantibus querendi  
 ansa præberi posset. Insuper Nuntio  
 injunctum, ut Galliarum Regi significa-  
 ret, quod Pontifex in ejus præsidio,  
 ac Regni ejus Præsulum ope plurimum  
 confidat, idque se obtenturum speret  
 ab eo tanquam fidei Protectore, atque  
 suorum æmulatore Majorum, qui nun-  
 quam a Sanctæ Sedis obsequio recesser-  
 unt (\*). Præterea idem Nuntius ju-  
 bebatur Regem certum reddere, quod  
 in Synodo doctrinæ explicationi, mo-  
 rumque emendationi, illæsis tamen Gal-  
 lici Regni privilegiis, juribusque pro-  
 fanis, opera daretur, ac per Pontificem  
 quidem ad Cæsaris preces (\*\*). Con-  
 cilium

(\*) Hanc in rem Continuator solum alle-  
 gat Pallavicinum, qui tamen altum de hoc te-  
 net silentium.

(\*\*) Pallavicinus l. c. testatur, quod Nun-  
 tio disertis Verbis fuerit injunctum, ut Regi  
 signi-

cilium Tridentum revocaretur, sub e-  
 jusmodi tamen conditionibus, quæ Re-  
 gi Christianissimo indicabuntur, cujus  
 animum hac super re Pontifex lubenter  
 exploratum habere vult: hæc mandata  
 Papæ Nuntius etiam Cardinali Guisio  
 communicare, nec non, si ei bene vi-  
 sum fuerit, cum illo desuper conferre  
 juebatur. Injungebantur alii adhuc  
 articuli ad eundem ferme scopum colli-  
 mantes, qui a Pallavicino referuntur.

Ceterum hæc propositiones Galliarum  
 Rex benigno responso excepit, cum e-  
 nim Papæ rationes, ob quas Cæsari mi-  
 nus fideret, perspectas haberet, aliunde  
 vero pro more Gallorum bonam de  
 eo mentem conciperet, hinc de Nuntii  
 adventu magnam professus lætitiâ ei-  
 dem promisit, quod Franciæ Episcopos  
 Tridentum ablegare, atque nil eorum,  
 quæ ad conservandam Sedis Apostoli-  
 cæ auctoritatem conferrent, prætermi-  
 ttere velit.

Cete-

significaret, Pontificem ad id agendum non  
 fuisse impulsus **IMPORTUNIS CÆSA-  
 RIS POSTULATIS**, sicut a quibusdam  
 Regi fuerat insinuatam, sed a studio Religionis  
 ac publica necessitate. Hæccine est integritas  
 Continuatoris nostri?

K 2

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1550.

In Diario 12  
 Aug. an. 1550  
 apud Pallav.

Sæc. XVI.

A.C. 1550.

*Ex Diario**l. c. & epist.**Pighini ad**Dandin. 15.**Aug. 1550.*

Ceterum Pighinus Nuntius ad Cæsarem missus exponere jubebatur, quod Papa pro ea, qua par est, sinceritate iuxta fidem datam Synodum continuare statuerit, ut suæ conscientiæ satisfaceret, ac Dei gloriam, necnon Cæsaris, atque Imperii salutem promoveret, illæ tamen conditiones, sub quibus Synodi Tridentinæ celebratio fuit promissa, servarentur, & primo quidem Rex Christianissimus huic Concilio faveret, Gallique Antistites eidem interessent, ne eorum absentia Synodus universalis in peculiarem unius Nationis cœtum degenerare videatur; ad Gallum vero adducendum nihil magis expeditum foret, quam si eidem persuadeatur, nihil ibi agitandum, quod ipsi, ac regni ejus privilegiis detrimentum inferret.

II. Cæsar sponsor sit, quod tam Catholici, quam Protestantes in Imperio sese Concilio subicere velint: eapropter illos in comitiis ad exequenda Synodi decreta adstringat, necnon omnes urbes, & Principes expeditis ubique legitimis mandatis cohibeat, ne quis Synodo negotium faceßere præsumat.

III. Idem Imperator necessario declarationem promulget, vi cujus statuatur, ne decreta in rebus fidei Tridenti hucusque, vel in aliis prioribus Conciliis facta ullatenus in dubium revocentur, aut ad ea disceptanda

ptanda Protestantibus locus detur. De-Sæcnl XVI.  
 nique Nuntius Cæsari exponere erat A.C. 1550.  
 jussus, quod Pontifex de mutuo erga  
 se Imperatoris affectu persuasus eidem  
 Concilium ad urbem Germanis adeo  
 opportunam transferendo faveret, &  
 vicissim sibi a Cæsare polliceretur, quod  
 is hanc animi sinceritatem, promptam-  
 que obsequendi voluntatem pari studio  
 compensaret, nec tunc, si quis pia utrius-  
 que consilia evertere moliretur, male  
 verteret, quod Papa ad auctoritatem, Se-  
 disque Apostolicæ honores tam intra,  
 quam extra Synodum propugnandos  
 adversus ejusmodi pacis turbatores re-  
 mediis utatur.

§. XII.

*Cæsaris responsum ad Papæ  
 Nuntium.*

Post hæc Imperator hæcæ propositio- *Pallav. l. II.*  
 nes maturo examine ponderans *c. 9. & 10.*  
 hunc in modum respondit: *Ingenuitas,*  
*& prudentia Pontificis mihi summopere*  
*probat, eo quod perspecta publica necessita-*  
*te Concilii Tridentum convocandi, ratio-*  
*nem idoneam repererit, qua commode eo re-*  
*mitteretur, lite super translationis æquitate*  
*repudiata, utpote fastidiosa, ardua, & ad*  
*nullam rem utili. His addidit: quatuor con-*  
*siderationes mihi videntur graves, & jure*  
 K 3 pro-

Sæcul. XVI. *propositæ, de rebus Gallicis non laudo modo*  
A.C. 1550. *consilium ipsius, sed opem quoque meam, &*  
*operam libenter offero, ad securitatem om-*  
*niem Regi Gallorum præstandam, nam*  
*æquissimum est, ut in sumptibus supervacuum*  
*vitetur, Patresque post apertum Concilium*  
*otia agere non permittantur. Jam anno*  
*superiore decretum Augustæ factum, ut*  
*Germania universa, etiam ipsi protestantes*  
*se Synodo subjiciant, cujus exemplar Nun-*  
*tio dandum curavimus, illudque in Conven-*  
*tu Ordinum, qui jam instat, confirmare*  
*cogitabimus. Præterea nobis non videtur*  
*tempestivum, Synodi decreta in præsens tra-*  
*ctare, ne in dubium revocentur, quæ Tri-*  
*denti hætenus definita; illud enim magis*  
*opportune fieri poterit, postquam Conci-*  
*lium in eam urbem convenerit. Ceterum,*  
*quod ad auctoritatem Pontificis, sedisque A-*  
*postolicæ attinet, sicut eam antea protexi-*  
*mus, ita dehinc ejus protectores erimus, cer-*  
*tumque habemus, omnibus viribus & copiis,*  
*ac vita ipsa, si opus sit, eam tueri, &*  
*defendere: non est autem potestatis nostræ*  
*promittere, in Synodo nihil ab ingenio irre-*  
*quieto dictum, tractatumve iri: hoc tamen*  
*spondemus, si quid tale evenerit, nos tam*  
*fortiter repugnaturos, ut operam nostram*  
*Pontifex sine dubio sit approbaturus tam*  
*intra, quam extra Concilium.*

## §. XIII.

*Comitia Augustæ a Cæsare celebrata.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Hoc responsum Cæsar Augustæ dederat, ubi tum agens die vigesima sexta Julii comitiis initium fecit, ad quæ licet tum pax floreret, sicut & ad priora comitia validæ copiæ accersebantur. Proponebat ibidem Cæsar, agendum esse de prosequenda Synodo, de servando Religionis decreto *Interim* nuper Augustæ promulgato, necnon de multandis rebellibus, ac de restitutione jurisdictionis Ecclesiasticæ & bonorum sacrorum, quæ a Protestantibus fuerunt usurpata; Innovabatur etiam quæstio circa Cameram Imperialem: Cum autem Cæsar de Synodo agere cœpisset, hæc exposuit: Julii III. Pontificis mens est, ut Synodus Tridentina restauretur, moxque illi initium detur; ad eandem vero omnes Christiani etiam illi, qui a vera Ecclesiæ communione alieni sunt, cum plena libertate accedere, ibidemque Cæsareæ fidei patrocinio tuti suas sententias edicere possint. Dabuntur etiam unicuique a singulis S.R.I. Electoribus publicæ fidei literæ, ac diplomata.

*Sleid. comm.*  
*lib. 22. p. 786.*  
*Spond. hoc*  
*ann. n. 5.*  
*Thuan. l. 6.*  
*p. 193. edit.*  
*Genev. 1626.*

K 4

Porro

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.  
Porro hisce comitiis duntaxat intererant Moguntinus, & Trevirensis Electores; Coloniensis enim rebus domi componendis distinebatur: ex ceteris vero Principibus Bavarus jamjam ad comitiorum initia, Brunvicensis autem Dux nonnisi ad illorum finem accesserat. Aderant præterea supremus Borussiae Magister, necnon Herbipolensis, Augustanus, Tridentinus, Constantiensis, Euchstadiensis, Cameracensis, & Merseburgensis Episcopi: reliqui autem omnes Principes nonnisi suos quisque Oratores ablegabant.

## §. XIV.

*Conditiones pro restauranda Synodo  
a Mauritio S. R. I. Electore  
propositæ.*

*Burnet. l. c.* Postquam res in deliberationem venerat, majori Congregatorum parti placuit, Synodum omnino esse proseguendam. Verum Elector Mauritius assentiri noluit, nisi saltem cuncta hucusque in Concilio decreta rursus examini subjicerentur, unde per suos Legatos declarabat, se nunquam hanc Synodum admitturum, nisi sequentes adjicerentur conditiones. I. Omnia decreta Tridenti facta novam subeant discussio-

cussionem. II. Augustanæ Confessionis Theologi non modo audiantur, sed etiam tanquam Judices Sessionibus interfint, ac decidendi potestatem habeant. III. Pontifex Concilii decisionibus sese submittat, nec Præsidis locum obtineat, simulque Episcopis jusjurandum remittat, ut hi eo liberius suam sententiam promerent. Hanc declarationem publice recitatam Legatus pro more ad acta referri petiit: verum Moguntia Elector, penes quem utpote S. R. I. Cancellarium hujus rei facultas est, id Legato concedere renuit. Accepta hac repulsa plures putabant, quod Mauritius, qui admodum vafer per astutam hucusque simulationem perversa sua consilia tegebat, nunc tandem hac occasione usus, quid animo volutasset, palam proderet, & simul, postquam favores expectatione majores a Cæsare impetrasset, simul etiam a se amoliri vellet indignationem, quam Protestantes in eum conceperant, eo quod illum Catholicorum studiis nimis addictum suspicarentur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1550.

## §. XV.

*Mors Granvellani, Cæsarei ad Augustana comitia Legati.*

Exeunte Mense Augusto cum Cæsar *Sleid. l. 22.* adhucdum Augustæ hæreret, Gran- *p. 786.*

K 5

vella-

Sæcul. XVI. vellanus primus ejusdem Minister mali-  
 A.C. 1550. gna febrî correptus quinta valetudinis  
 Thuan. l. 6. fuæ die vivis ereptus est. Erat is Ve-  
 Pontus Hu- fontione obscuro genere natus, dictus-  
 therus verum que Nicolaus Perrenotus Granvellæ  
 Austriac. lib. Toparcha. Hujus Ministri jacturam Im-  
 13. c. 3. perator tam incredibili dolore de-  
 plorabat, ut accepto obitus sui nuntio  
 ad Philippum Filium suum conversus  
 diceret: *Fili mi! perdidimus firmum quie-  
 tis publicæ fulcrum.* Ceterum Granvel-  
 lanus tres superstites reliquit Filios,  
 Thomam Perronetum Cantonetensem  
 tam in Francia, quam in aliis Princi-  
 pum Aulis Legatum, Antonium primo  
 Atrebatensem Episcopum, ac postea  
 Cardinalem, & denique Fridericum Re-  
 nexii Baronem, ac Champignii in Bur-  
 gundiæ Comitatu Toparcham. Ex his  
 Antonius non modo Cæsareæ benevo-  
 lentiae, sed etiam dignitatum, quibus  
 ejus Pater æterna memoria dignus sub  
 Carolo Imperatore auctus erat, suc-  
 cessor exstitit.

## §. XVI.

*Cæsaris Responsum ad Papæ  
Nuntium.*

Perfolutis hujus Ministri justis Cæsar  
 Papæ Nuntium de omnibus comi-  
 tiorum tempore gestis edocens hæc ad  
 eum

cum loquebatur: „Etsi Catholici, ac <sup>Sæc. XVI.</sup>  
 „ Protestantium nonnulli cuncta con- <sup>A.C. 1550.</sup>  
 „ sensu suo approbent, non desunt tamen  
 „ alii, qui rem certis limitibus restrin-  
 „ gere contendunt; id vero tibi eo luben-  
 „ tius ipsemet significo, quo certius ve-  
 „ reor, ne forte res inde pejor evadat,  
 „ si forte per alios id tibi indicetur.  
 „ Nihilominus totis viribus adlabora-  
 „ bam, ne Protestantium consensus tot  
 „ conditionibus circumscriptus in acta  
 „ referatur; ipsimet enim hi Principes  
 „ sese postmodum plene Concilio sub-  
 „ jecturos pollicebantur, quapropter  
 „ ab Universa Germania Synodum ac-  
 „ ceptatum iri spondere valeo. „ Im-  
 „ perator, ut hac de re major adhuc illi  
 „ certitudo suffragaretur, totum quoque  
 „ negotium cum Electoribus, ac præci-  
 „ pui Imperii Abbatibus conferebat, il-  
 „ lisque proponebat, quod ipse futuro  
 „ Concilio præsens anno sequenti circa  
 „ Paschatis festa illius initium procurare  
 „ velit: cum autem horum omnium  
 „ fidem pariter sibi obstrictam teneret,  
 „ totus in eo erat, ut & ipse Pontifex Cæ-  
 „ sarei hujus promissi executionem ur-  
 „ geret, hinc Imperator aliunde de to-  
 „ tius Germaniæ consensu certus, ad tol-  
 „ lenda quævis alia obstacula a summo  
 „ Pontifice sibi Bullæ in epitomen reda-  
 „ ctæ apographum communicari petiit, eo  
 „ fine

Sæcul. XVI. fine, ut illam, priusquam promulgaretur, omnibus Augustæ congregatis exhibere, cunctosque Principes ad eam acceptandam, simulque ad decretum recipiendum adstringere posset. Accepto hoc Cæsaris responso Romæ agebatur de mediis, quibus huic Principi satisfieri posset (\*).

## §. XVII.

*Bellum Megapolitani Ducis adversus Magdeburgenses.*

*Sleid. p. 788.* *Thuan. l. 6. p. 294.* Interea bellum, quod Brunsvicensis Dux inchoaverat, in Saxonia continuato studio fervebat; nam hujus Ducis aliunde ad concitandas turbas nati ausibus obsistere oportebat, præcipue eo tempore, quo pacem conservare, permagni intererat, ne grave Synodi celebrandæ negotium interturbaretur. Ceterum Dux jamjam Brunsvicum cinxerat, illiusque expugnationem vehementer urgebat, cum inopinate Cæsar arma ponere, causamque coram se dicere, utrique parti præciperet. Equidem hæc

(\*) Quam subdole Continuator hæc absque ullo teste, ac Scriptore allegato protulerit. prudens Lector ex Historiæ progressu observabit.

hæc Cæsaris jussa Duci permolesta ac-  
ciderant, paruit tamen, fecitque millio-  
nem militibus suis, quos illico Geor-  
gius Megapolitanus Dux in fidem suam  
recepit, ut sollicitante Clero, qui illatas  
a civibus injurias ulcisci parabat, Mag-  
deburgensibus bellum inferret; cum e-  
nim Albertus Brandenburgicus paulo  
ante e vivis excessisset, eidemque non-  
dum Successor esset subrogatus, hinc  
Ecclesiastici Georgio polliciti sunt, quod  
ipsum tanquam totius Provinciæ Prin-  
cipem salutare, eique tres præcipuas  
urbes Vancelebum, Drielebum, & Wol-  
merstadium scriptotenus oppignorare  
vellent: Igitur Dux primo per Halber-  
stadensem agrum profectus in Magde-  
burgensem ditionem postea pervenit, ubi  
Vancelebum cepit, ac die decima se-  
ptima Septembris incendit, cum vero  
arcem incassum oppugnare tentaret,  
promotis castris totam regionem fer-  
ro, flammaque devastavit: quapropter  
cives æque, ac rustici his rapinis per-  
territi, Magdeburgici Senatus opem im-  
plorabant, polliciti, quod nec vitæ, nec  
bonis suis parcere velint, dummodo  
hostium furori haud impune expone-  
rentur. Ergo Senatus diem illis vige-  
simam primam Septembris constituit,  
qua una omnes armis, equis, ac plau-  
stris instructi in præfixo loco conveni-  
rent.

Sæcul. XVI. rent. A.C. 1550. Comparant illi unacum Magde-  
 burgenſibus, præſtituta die, atque una-  
 omnes Wolmerſtadii duobus ab urbe  
 milliariſibus caſtra metantur: altera au-  
 tem die antelucano tempore motis ca-  
 ſtris ad hoſtem, qui Hilderslebbii ſub-  
 ſtiterat, recta contendunt: mox vero  
 Georgius Dux explorata hoſtis ſui acie,  
 ne a fronte invaderetur, repente con-  
 verſis ordinibus agricolas, nec ſatis ar-  
 matos, minus autem ad pugnam expe-  
 ditos a tergo circumdat, eosque tan-  
 to impetu adoritur, ut, ſtatim, prius-  
 quam primi ordines opem ferre poſſent,  
 quamplurimi jamjam cæſi, & reliqui  
 in fugam acti eſſent, adeo, ut illi, qui  
 adhucdum in acie perſtiterant, a cir-  
 cumfuſa fuorum etiam ſociorum tur-  
 ma abrepti hoſti eos undique infeſtan-  
 ti haud ultra reſiſtere poſſent, unde eo-  
 rum quamplurimi miſere trucidati, ce-  
 teri vero capti fuere, paucis natando  
 mortem effugientibus.

## §. XVIII.

*Magdeburgum obſeſſum, ac pro-  
 pugnatum.*

*Thuan. l. 6.  
 p. 195.*

Postridie Mansfeldius Comes ſuppeticas  
 allaturus ad caſtra pervenit, nec mi-  
 nus acceſſerant quoque Electores Bran-  
 deburgicus, & Mauritius de Saxonia,  
 præ-

præter Albertum hujus Patrum, Culm-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
bacensem Marchionem, & Henricum <sup>A.C. 1550.</sup>  
Brunsvicensem, qui valido Equitatu sti-  
pati tanquam exercitus Duces saluta-  
bantur, supremo Equitatus imperio  
Georgio Duci relicto. Die deci-  
ma Octobris hostes urbis mœniis co-  
pias admovent, portis ignem subjecturi,  
verum effusa in eos tormentorum tem-  
pestate cum tanto suorum dispendio in-  
de repulsi sunt, ut ipsi animo penitus  
dejecti, econtra obsessi hisce victoriæ  
auspiciis in dies animosiores fierent,  
unde altera die ex urbe erumpentes  
hostem profligant, ipsumque Georgium  
Ducem non sine magna suorum clade  
obsidionem solvere compellunt, ac se-  
quentibus diebus hostem levibus qui-  
dem, oppido tamen cruentis velitationi-  
bus laceffunt: tandem utrinque ineuntur  
induciæ, ac ipsemet Wolfgangus Anhal-  
tinus Princeps de pacis conditionibus a-  
cturus in urbem admittitur, cum vero  
discordes animi conciliari haud possent,  
hostes violatis induciis Sancti Michaelis  
suburbium incendunt, & Brandeburgi-  
cus Elector quoddam Equitum agmen,  
quod Magdeburgensi præsidio suppe-  
tias venerat, profligavit: nihilominus  
altera die obsessi hostes suos in fugam  
egerunt: at quarto post die Cæsarei  
eorum Equitatum penitus deleverunt,  
bellum

Sæcul. XVI. bellumque usque ad Autumni finem pro-  
A.C. 1550. tractum est.

## §. XIX.

*Imperator in comitiis de Magdebur-  
genfibus, & Bremenfibus  
questus.*

*Sleid. l. 22.  
p. 788.  
Thuan. l. c.*

Interea Cæsar, cum sua edicta servari vehementer urgeret, præcipue quebatur de Magdeburgensibus, & Bremenfibus, qui soli adhuc obtemperare recusabant, quamvis hi posteriores nondum proscripti essent. His querelis permoti Principes Cæsarem rogabant, ut eos tanquam hujus dissidii conciliatores acceptare velit: Annuente igitur Cæsare hi ad utriusque hujus Urbis Magistratus die vigesima secunda Septembris literas perscribunt, eisque injungunt, ut ad secundam Novembris diem Augustæ coram ipsis comparerent, aut oblatis publicæ securitatis literis suos Legatos plena agendi facultate instructos mitterent.

## §. XX.

*Conditiones a Cæsare Bremenfibus  
præscriptæ.*

*Sleidan. &  
Thu. l. c.*

Vix Nuntius, qui hanc epistolam perferre jubebatur, dicefferat, cum illico Principes a Cæsare sciscitarentur, sub

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

sub quibus demum conditionibus cum duabus hisce, de quibus queritur, uribus pacisci velit? Ad hæc respondit Cæsar *I. Bremenses meæ potestati se submittant, & supplices culpam deprecantur, II. ab omni fœdere discedant, nullumque postea ineant, in quo non ego, & tota mea familia comprehendatur; III. meæ ditionis nemo contra me militet: IV. Cameræ Imperiali se parituros promittant, sumptusque in eam pro virili subministrent: V. cum Archiepiscopo suo, & Ecclesiasticis transigant; si non possint, delectorum arbitrio, quos ego dabo, rem permittant: VI. machinas bellicas Henrico Brunsvici Principi ereptas restituant, & de damno dato satisfaciant; VII. centum quinquaginta aureorum millia dependant, & viginti quatuor belli tormenta tradant; VIII. denique superiorum comitiorum omnium decretis pareant, & iis, quæ deinceps in comitiis decernentur.*

Easdem ferme conditiones Cæsar Magdeburgensibus proposuit, id tamen eis insuper injunctum, *I. sese iudicio sistant, & sententiae pareant: II. a tempore factæ rebellionis nullam in quemquam actionem moveant: III. munitiones, & propugnacula demoliantur; IV. Cæsarem, ejusque Legatos quocumque tempore cum quantisve copiis sine ulla conditione in urbem recipiant: V. ducenta aureorum millia per-*  
*Hist. Eccles. Tom. XL, L. solvant,*

Sæcul. XVI. solvant, ratis manentibus bonorum publica-  
 A. C. 1550. tionibus Cæsarea auctoritate factis, ne tur-  
 bentur horum bonorum possessores.

## §. XXI.

*Bremensium, & Magdeburgensium  
 responsa.*

**M**ense Octobri ad exitum vergente u-  
 triusque urbis cives responsum di-  
 vulgabant, in quo submissionem spon-  
 debant, additis hisce conditionibus, ac  
 primo quidem Bremenses hæc perscri-  
 psere: *Nos pacis summe studiosi semper fui-  
 mus, atque omnia egimus, ut Cæsarem  
 placatum habere possimus: in eadem volun-  
 tate perseveramus, & quamvis duræ admo-  
 dum dicantur leges, ut tamen ostendamus,  
 quanti Cæsaris auctoritatem & amicitiam  
 faciamus, non recusamus mittere Legatos,  
 & si quidem religio nobis integra, & liber-  
 tas maneat, nihil non erimus facturi, quo  
 Cæsari omni ex parte satisfiat.*

Idem ferme respondebant Magde-  
 burgenses, qui tamen insuper gravem de  
 injuriis sibi factis, & bello nuper sine  
 Cæsaris mandato a Megalopolensi Duce  
 ob id tantum, quod puriorem Evangelii  
 doctrinam colerent, illato querelam ad-  
 mixtam habebant: petebant igitur, ut  
 eorum ratio haberetur, & copiæ, quæ  
 nunc denuo ad urbem hostiliter vene-  
 rant,

rant, recederent; Præterea inque-  
bant: „petimus, ut Legatis nostris  
„ publicæ securitatis literæ tradantur,  
„ eo fine, ut hi, comperta Sacræ Cæ-  
„ sareæ Majestatis suæ voluntate, desu-  
„ per nobis integra fide referre valeant;  
„ hæc enim si nobis benigne conceden-  
„ tur, speramus, Cæsari per nostram a-  
„ gendi rationem satisfactum iri. „

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550.

§. XXII.

*Pœna in Magdeburgenses decreta.*

Postquam utrumque hoc responsum in  
comitiis erat recitatum, Cæsar, qui  
cum Bremensibus mitius eo ex capi-  
te agendum dicebat, quod nondum pro-  
scripti essent, & æquioribus se conditio-  
nibus oblatis submitterent, eorum  
expectandos legatos pronuntiat, non  
eandem tamen erga Magdeburgenses  
æquanimitatem exhibuit; cum hi jam  
obsessi essent, & secus, quam res habe-  
ret, inique, & contemptim respondisse  
viderentur: itaque petit a Principibus,  
& Imperii Ordinibus, ut quid in illos sta-  
tuendum sit, nulla mora interjecta de-  
liberare pergant: insuper cum Ecclesia-  
sticus hujus urbis Ordo sumptus in il-  
lud bellum conferre promississet, simul-  
que, ut in cives tanquam perduelles se-  
verissime animadverteretur, in comitiis

Thu. Es  
Sleid l. c.  
Spond. hoc  
anno n. 6.

**Sæcul. XVI**  
**A.C.1550.**

nuper egisset, hinc Principes monebat, ut illorum postulata diligenter expendantur, in eoque negotio fiat, quod e re, & dignitate imperii sit.

Equidem Principum, ac Ordinum plerique, ægre licet, Cæsaris voluntati cedebant, eique suppetias offerebant simul tamen eundem exorabant, ut ipsemet Imperator pro viribus auxilia conferat, & si bello præesse per valetudinem, aut negotia non possit, aliquem ex Imperii Principibus præficiat, & Mauritium ad hoc munus seligat, si id ei bene visum fuerit. Placuit Cæsari huius Principis electio, unde gravissimis eos verbis hortatus est, ut sedulam in ea expeditione navent operam; cum in ea & dignitas, & tranquillitas Imperii versetur: quod ita commode confici posse demonstrat, si castellis ad urbem extructis continuetur obsidio: verum opus esse aiebat celeritate propter anni tempus, & brevem rei gerendæ occasionem. Hac igitur ratione Mauritius, qui se jam huic bello immiscuerat, Cæsaris, & Ordinum decreto rerum summæ præfectus est: pro belli autem sumptibus jam factis centum aureorum millia, & deinceps in singulos menses alia sexaginta decernebantur.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.*Clericorum, ac Protestantium rationes  
contra Augustani decreti re-  
ceptionem.*

Cum Cæsar Augustanum decretum *Thuan. l. 6. p. 196.*  
acceptari vehementer urgeret, ac  
sciscitaretur, ob quas causas reforma-  
tionis edictum a se confectum nondum  
in usum deduceretur, hæc ei in respon-  
sis fuere data: „ non tam brevi tempo-  
„ re id, quod diu antea hominibus per-  
„ suasum erat, ex eorum animis evelli  
„ potest; docendi enim præprimis sunt,  
„ & sensim ad doctrinam eis proposi-  
„ tam assuefaciendi: nam sine turbis, &  
„ seditione nihil violenter in eo nego-  
„ tio mutari valet: neque etiam ad id  
„ concionatores hucusque adigi value-  
„ runt; alioqui foret in templis solitu-  
„ do; vix enim reperiri possunt, qui e-  
„ dicto de coelibatu & adempto Calicis  
„ usu assentiri velint. „ Hæ a pro-  
testantibus, qui decreto subscripserunt,  
causæ afferebantur.

Attamen Catholici econtra totius  
mali causam in privilegia, atque im-  
munitates rejiciebant, alii autem id  
attribuebant gymnasiis, & scholis, in  
quibus juventutem pravis disciplinis im-  
bui querebantur: Non deerant multi,

L 3 qui

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550. qui etiam in Augustanæ confessionis ministros culpam rejiciebant, eo quod illi populum ab eo decreto perinde, ac si cum sacris literis pugnaret, absterrent: causabantur etiam Sacerdotum penuriam, & magistratus negligentiam, qui formulam contumeliosis concionibus, & libellis impune proscindi patiuntur; vitam denique Ecclesiastici ordinis obtendebant plerisque in locis impuram, quæ adeo non boni exempli est, ut potius offensionis causam præbeat. His ita reposuit Cæsar: continuata Tridenti Synodo istis malis remedium opponetur; mox enim Papa illam rursus instaurabit.

## §. XXIV.

*De Synodo Tridenti prosequenda Romæ actum.*

*Pallav. l. II.*  
*c. II*  
*Spond. l. c.*  
*n. 3.* **E**nimvero hujus rei sollicitudo Sacrum Purpuratorum Collegium Romæ jamjam per tres Menses distentum tenebat: tandem vero Nuntius appositas Protestantium conditiones a Cæsare edoctus Pontificem de Imperatoris voluntate certiore reddebat, simulque significabat, quod Cæsar vehementer optaret, ut saltem, quamprimum Patres congregabuntur, de decretorum firmitate sermo fieret, hacque ratione placarentur

tur illi, qui sese Synodo opponerent. Sæcul. XVI.  
 Verum censebat Pontifex, quod res in- A.C. 1550.  
 perfecta videretur, nisi vetera recipiantur  
 decreta, quinimo haud obscure præ-  
 senserat, quod frustra, si desuper statim  
 ab initio disceptatio moveatur, inani  
 altercatione tempus tereretur, ac deni-  
 que res eo deveniret, ut nulla re ple-  
 ne decisa Synodus omnino dissolvere-  
 tur, atque ex generali dubio, an omnia  
 hæc decreta forent recipienda, facile  
 circa singula novæ nascerentur dispu-  
 tationes, & aliunde Pontifex, si hac in  
 re suum judicium vellet interponere,  
 suspectus haberetur, eoquod olim pri-  
 mus Synodi Legatus fuisset, atque ex  
 eadem hac causa præcipuus horum De-  
 cretorum Auctor haberetur. Ponde-  
 rabat insuper Pontifex, quod unice, si  
 hujus articuli decisio vehementius ur-  
 geretur, id ad creandas molestias, no-  
 vasque difficultates suscitandas condu-  
 ceret, quapropter maluit rem ita in suo  
 diplomate dirigere, ut Decreta Tridenti  
 sancita a Germanis fuisse recepta, suppo-  
 nere videatur.

§. XXV.

*Julii III. Diploma pro Synodo Tri-*  
*denti continuanda.*

Hac igitur ratione Pontifex ad Caro- Pallav. l. II.  
 lum V. diploma transmisit, quod c. II.

L 4

die

Sæc. XVI. die decima quarta Novembris datum his  
A C 1550. erat conceptum verbis:

Raynald,  
 n. 21.

Julius III. Episcopus Servus Servorum.  
 Ad futuram rei memoriam.

Sleid. l. 22.  
 p. 793.  
 Lab. Collect.  
 Conc. to. 14.  
 p. 4043. &  
 p. 793.

Cum ad tollenda Religionis nostræ diffidia,  
 quæ in Germania longo tempore, non sine  
 totius christiani orbis perturbatione & scan-  
 dalo viguerunt, bonum, opportunum, &  
 expediens esse videatur, sicuti etiam charissi-  
 mus in Christo filius noster Carolus Ro-  
 manorum Imperator semper Augustus nobis  
 per suas literas & nuntios significari fecit,  
 ut sacrum œcumenicum & generale Conci-  
 lium per felicis recordationis Paulum Pa-  
 pam tertium prædecessorem nostrum indi-  
 ctum, & per nos, tum Cardinalatus honore  
 fungentes, atque ipsius prædecessoris nomine,  
 una cum duobus aliis sanctæ Romanæ Ec-  
 clesiæ Cardinalibus, ipsi Concilio præsi-  
 dentes, inceptum, ordinatum, & continuatum,  
 in quo plures publicæ & solennes habitæ  
 fuerunt Sessiones, pluraque tam in causâ  
 fidei, quam Reformationis promulgata de-  
 creta, multaque etiam ad utramque causam  
 pertinentia, examinata, & discussa, ad  
 Civitatem Tridentinam reducat: nos, ad  
 quos ut summos pro tempore Pontifices, spe-  
 ctat generalia Concilia indicere, & dirigere,  
 ut Ecclesiæ pacem, & Christianæ fidei, at-  
 que Orthodoxæ Religionis incrementum, ad  
 omnipotentis Dei laudem & gloriam procu-  
 remus;

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

remus, & quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sane Provincia retroactis temporibus in vera Religione, ac sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus Christi Redemptoris nostri in terra Vicariis, debita obedientia & reverentia, nulli Christianorum Provinciæ fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes, per ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut reges omnes ac Principes Christiani, justis, piisque nostris in hac re votis annuant, faveant, atque assistant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, omnesque alios, & singulos, qui de jure vel consuetudine, vel privilegio, Conciliis generalibus interesse debent, quosque idem prædecessor noster suis indictionis, & aliis quibuscunque desuper confectis & publicatis literis Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi hortamur, requirimus & monemus, ut proximis futuris Kalendis Maji, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum, & prosequendum, prævia matura deliberatione, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, statuimus, decernimus, & declaramus in ipsa Civitate

Sæcul. XVI. A. C. 1550. Tridenti, legitimo cessante impedimento, con-  
venire & se congregare, ac ipsius Conci-  
lii continuationi, & prosecutioni, omni mora  
postposita, incumbere velint. Nos enim o-  
peram sedulo daturi sumus, ut eodem tem-  
pore, in eadem Civitate nostri omnino ad-  
sint legati, per quos (nisi per ætatem nostram,  
valetudinemque, & Sedis Apostolicæ ne-  
cessitates personaliter adesse nequiverimus)  
Spiritu sancto Duce, ipsi Concilio præside-  
bimus, quacunque ipsius Concilii translatio-  
ne & suspensione, ceterisque contrariis non  
obstantibus quibuscunque; ac præsertim il-  
lis, quæ idem prædecessor noster in suis li-  
teris prædictis, quas cum omnibus & singu-  
lis in eis contentis clausulis & decretis in  
suo robore permanere volumus, atque decer-  
nimus, & quatenus opus sit, innovamus,  
voluit non obstare, irritum nihilominus decer-  
nentes, & inane, si secus super his a quo-  
quam quavis auctoritate scienter vel igno-  
ranter contigerit attentari. Nulli ergo o-  
mnino hominum liceat hanc paginam no-  
stram hortationis, requisitionis, monitio-  
nis, statuti, declarationis, voluntatis, inno-  
vationis & decretorum infringere, vel ei  
ausu temerario contraire. Si quis autem  
hoc attentare præsumpserit, indignationem  
omnipotentis Dei, ac beatorum Petri &  
Pauli Apostolorum ejus se noverit incur-  
surum.

Datum

*Datum Romæ apud sanctum Petrum, Sæcul. XVI.  
anno Incarnationis Dominicæ millesimo quin- A.C. 1550.  
gentesimo quinquagesimo, decimo octavo  
Kalendas Decembris, Pontificatus nostri  
anno primo.*

Cæsar accepto hoc diplomate illud, priusquam in comitiis publice prælegeretur, in suo Senatu discuti voluit, cum ergo illud votis suis valde consonum deprehenderet, exceptis duntaxat quibusdam vocibus, quas paulo moderatiores peroptabat, totus in eo erat, ut illud etiam a Congregatis acceptaretur.

## §. XXVI.

*Literæ Pontificiæ pro promulgando  
restitutæ Tridentinæ Synodi  
diplomate.*

Ex altera parte summus Pontifex, ut in hoc diplomate pronuntiata confirmaret, die vigesima septima ejusdem Mensis Literas Apostolicas expediri jussit, quibus præfatum diploma ratum habuit, confirmavitque, *ut autem, inquit Pontifex, omnes plenam illius notitiam habeant, ordinamus, quod tam prædictæ, quam præsentis literæ, per aliquem ex nostris cursoribus in Basilicis sancti Petri de Urbe, & sancti Joannis Lateranensis, dum ibi divina celebrantur, publice, ac alta, & intelligibili voce legantur, & postquam*

Sæc. XVI. A.C. 1550. *postquam lectæ fuerint, valvis ipsarum Basilicarum affigantur, & ibi aliquamdiu dimittantur, & relicta postea illarum copia, amoveantur, decernentes, publicationem faciendam omnes, & singulos ipsius Concilii celebrationi quomodolibet interesse debentes, perinde arctare, ac si eis personaliter intimatæ fuissent: quodque ipsarum literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur.*

His potissimum literis permotus Imperator Pontificis diploma in comitiis prælegi jussit, quod tamen exitum a Papa speratum adeo non fortitum est, ut etiam res pejor evaderet: Principes enim plures quasdam hujus diplomatis voces indignati sibi injuriam inferri existimabant, unde violata etiam, quam dederant, fide sese Concilio subijcere recusabant. Præsertim querebantur, quod eis Papa insuperhabitis summis precibus decreta ipsis absentibus sancita discutiendi libertatem adimeret, declarans, quod Concilium in eo, quo nunc reperitur statu, prosequi velit. Denique asseriebant, quod hæc Synodus non pro ipsis, sed contra eos fuerit convocata, cum ad illam Pontifex duntaxat Viros sibi omnino addictos, necnon Se-  
di

di Romanæ etiam juramenti religionē obstrictos vocasset.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550.

§. XXVII.

*Parma Octavio Farnesio restituta.*

Cum autem Cæsar istorum oppositionem vehementer indignaretur, huicque malo remedium afferre, ac Principes placare pararet, novum supervenit obstaculum, quod vix non Synodi continuandæ propositum penitus evertisset. Occasio inde sumebatur a Parmensi urbe Octavio Farnesio restituta: id enim non modo Cæsari, sed & Galliarum Regi minus gratum acciderat, imo tantum effecerat, ut Gallus amicitiae vinculum cum Papa dissolveret. Verum & tum Cæsar prudentia sua omnes sinistros prævertit successus, qui inde secuturi timebantur, ac Synodi continuationem tantopere a Cæsare desideratam retardare poterant.

§. XXVIII.

*Religionis Catholicæ progressus in Germania.*

Postquam Cæsar Protestantes iterata clade deprefferat, Religio Catholica semper magis, magisque florescere cœpit, ac præprimis Zwinglii hæresis

*Sur. comm. hoc an. 1550. Raynald. ad hunc ann. n. 22, 28.*

haud

Sæcul XVI  
A. C. 1550.  
*Sleid. p. 776.*

haud amplius Argentinæ dominabatur, quamvis Novatores hanc sectam latius diffundere totis viribus niterentur: quinimo die secunda Februarii B. V. purificatæ sacra in tribus Ecclesiis Argentinensis Clerus Missæ sacrificium plusquam viginti annis intermissum rursus celebrare cæpit: cum autem novi in populo tumultus suscitarentur, usque ad Pentecostis festa rursus a divinis Officiis cessatum est; plures enim urbis incolæ plurimum oderant Clericos, nec alio, quam idololatriæ, reique profanæ loco habebant sacros Ecclesiæ ritus, potissimum a Bucero nefando fidei desertore incitati, qui horrendas in Eucharistiam, aliaque Sacramenta blasphemias effudit. Plures insuper adoptabant impium dogma Ochini, qui Deum nec adorandum, nec præsidium ab eo expectandum tradebat: verum cum Magistratus ad reprimendam seditiosorum petulantiam auxiliares manus præberet, Religio Catholica Argentinæ restituta est, opera Cardinalis Othonis, qui a Lutheri Sectatoribus dire vexabatur. Pariter fidei lumen iterum Constantiæ fulgere cæperat, ubi Zwingliani prius contra Clerum, & Catholicos crudelissimam prorsus tyrannidem exercebant: Ut ergo hosce tumultus sedaret Pontifex Roma die vigesima prima Junii

2071. 2072.  
2073. 2074.  
2075. 2076.  
2077. 2078.  
2079. 2080.

Junii hoc anno epistolam ad Episcopum, Sæcul. XVI.  
A. C. 1550.  
ejusque capitulum transmisit, eos adhortatus, ut in urbe commorantes suo exemplo fideles ad perseverandum in fide Orthodoxa excitarent. Præterea eodem anno Papa die duodecima Aprilis per literas Apostolicas a censuris absolvit omnes illos, qui absque Sedis Apostolicæ consensu in Sicilia decimas exegerunt, illas vero deinceps colligi permisit.

Equidem in Anglia Catholici paululum respirare cæperant, postquam Sommerseti Dux Regni Protector, ut supra meminimus, Regis gratia exciderat, atque inde adulterini Reformatores multum affligebantur, adversamque illius fortunam tanquam proximum factionis suæ exitium interpretabantur, amplior tamen propterea spes affulgere videbatur Catholicis, qui firmum rebus suis præsidium repositum credebant in Joanne Dudleio Varvicensi Comite, cui exauctorato Duce summa rerum in toto Regno committebatur; hunc enim Catholicæ Religioni sincero animo addictum existimabant, piaque eorum opinio præcipue firmabatur per arctam amicitiam, qua Trifanthonum Comiti junctus erat: quinimo id ipsum de Dudleio credebatur Gallix Rex, nec ipse solus ob obtentam illius dignitatem ingentis

Sæcul. XVI  
 A.C. 1550.

gentis lætitiæ signa edebat. Insuper Bonnerus, & Gardinerus ambo Episcopi, in Turri capti, cum Dudleum tam amplis honoribus cumulari perciperent, mox datis ad eum literis, quod regnum a Tyranno liberasset, eidem in acceptis referebant, atque inter eos Bonnerus in integrum restitui, necnon e carcere dimitti rogabat. Præterea, cum omnia a Protectore stabilita eversum iri passim crederetur, non pauci Ecclesias frequentare, ac juxta novam Liturgiam Communionem recipere cessabant: Verum Varvicensis Comes omnium spem turpiter elusit, sive id contigit, quod de Religione Catholica omni expectatione remissius senserit, sive quamcunque Religionem tanquam cultum mere Politicum habuerit, seu ampliorem Regis favorem, si spuria reformationi magis faveret, aucupandi spem conceperit, interim id omnino certum est, quod palam eidem adhærere decreverit; unde Gardinerus Viacomienſis Episcopus continuo in vinculis hæere compellebatur, Bonnero autem Judices quidem dabantur, hi tamen judicii acta juxta legum præscripta fuisse instructa, sententiam quoque æquissimam, ac proin ejus appellationem omnino invalidam declarabant. Rebus ita constitutis sane Catholici haud tripudiare poterant

propter

propter regiminis vicissitudinem nuper Sæcul. XVI. A.C. 1550.  
 in Regis aula factam; ipse etiam Tri-  
 fanthonum Comes spe sua delusus, cum  
 se a Varvicensi Comite unico suæ fidu-  
 ciæ fulcro vilipensum cerneret, haud  
 salutato hospite aula excessit, ac in quo-  
 dam suo prædio mærore confectus obiit.  
 Cuncta hæc priori anno Christi millesi-  
 mo quingentesimo quadragesimo nono  
 gesta fuere.

§. XXIX.

*Protector obtenta venia e Turri liber  
 dimissus.*

Hoc autem anno Incarnationis Domi-  
 nicæ millesimo quingentesimo quin- In act. publ. Angl. de Rymer t. XV. p. 205.  
 quagesimo Senatus conventu habito in  
 superiori Curia acta prælegi jussit, in  
 quibus Protector per confessionem pro-  
 prio suo chirographo firmatam de obje-  
 ctis criminibus convictus denunciaba-  
 tur, simulque præter bis mille librarum  
 Sterlingicorum nummum multam om-  
 nia ejus bona mobilia Regis ærario ad-  
 judicabantur, ipse vero omnibus suis  
 dignitatibus exuebatur. Hic quantum-  
 vis circa plura accusationum capita su-  
 am vindicare posset innocentiam, ma-  
 gis tamen expeditam censebat veniæ  
 spem, si se omnium, de quibus accusa-  
 batur, flagitiorum reum profiteretur,  
*Hist. Eccles. Tom. XL. M* atque

Sæc. XVI. A.C. 1550. atque ad solam Regis clementiam confugeret: nec sua eum spes fefellit; quippe die sexta Februarii præstita futuræ emendationis cautione liber e Londinensi Turri dimittitur, ac decimo post die regias delicti plene condonati tabulas recipit: nihilominus illa, quam sibi antea in populo comparaverat, auctoritate penitus exciderat; cum enim suas agendi rationes plebs assequi haud posset, hinc illum fuisse reum, firma persuasione credebat, eoquod sponte omnia factus esset crimina, benignius tamen habebatur a Rege, qui eidem die sexta Aprilis rursus in Senatu locum vindicabat.

## §. XXX.

*Novi ritus forma pro sacris Ordinibus.*

*Vid. Heylin in Hist. Reformation. p. 69. In fast. Eccl. Angl. Stryp. in vita Cranmeri. Burnet. l. 1. p. 212.* Cum Reformationem ulterius dilatari peteretur, existimabant nonnulli, quod adhucdum quædam Ecclesiasticæ functionis pars reliqua esset, quæ necdum fuisset emendata, eaque tangebatur sacrorum Ordinum ritum: mox ergo quibusdam Episcopis, ac Theologis datur negotium, ut & hunc quoque corrigerent, unde sancitum, quod a die quinta Aprilis hujus anni novum hoc, ut vocant, *Rituale* introduceretur, hanc  
in

in rem jam Mense Martio typis impres-  
sum. Erat Poynettus Viacomienfis E-  
piscopus præ ceteris primus, qui jux-  
ta novi hujus ritus præscriptum sacris  
initiabatur, quamvis ante Episcopalem  
hanc inaugurationem nonnulli particu-  
lares Episcopi in Presbyteris, ac Dia-  
conis initiandis nova hac forma usi fue-  
rint; legitur enim, quod a die vigesima  
tertia Junii proin septimo die, antequam  
Poynettus vigesima nona ejusdem Men-  
sis fuerat in Episcopum creatus, jam-  
jam Ridleyus Londinensis Antistes, qui  
anno priori fuit Bonnero subrogatus,  
semel in administrandis S. Ordinibus no-  
vo Eduardi rituali usus fuerit; insuper  
notum est, quod idem Episcopus hoc  
anno Domini millesimo quingentesimo  
quingagesimo die decima Augusti ali-  
am adhuc, ut appellant, ordinationem  
habuerit, unde patet, quod novi hujus  
ritualis usus sub Eduardi regimine jam-  
jam ante annum reparatæ salutis mille-  
simum quingentesimum quingagesi-  
mum primum invaluerit. Ceterum in-  
troducendæ hujus liturgiæ occasionem  
præbuit rumor, quo spargebatur, quod  
illa utpote a solo Duce Sommerfeto ad-  
inventâ interdiceretur, ejusque loco  
rursus antiquus ritus semper antehac  
usitatus denuo retineretur.

M 2

§. XXXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

§. XXXI.

*Ecclesiastici cunctos sacri Ritus libros tradere jussi.*

Burnet t. 2.  
p. 215.

Hanc ob rem omnes Ecclesiastici Antiphonaria, Missalia, Gradualia, Processionalia, Manualia, Legenda, necnon S. Ordinum Cæremonialia, aliosque ejusdem generis libros, qui ad Saresberiensis, Londinensis, Eboracensis, vel aliarum Dicecesium usum erant destinati, Regiis Deputatis tradere jubebantur, imposito etiam præcepto, vi cujus deinceps divina Officia juxta nuperam Ordinum Constitutionem æquali ritu celebrentur, ac sollicite curetur, ut panis, & vinum pro Communione singulis diebus Dominicis in Ecclesiis apponantur. Præterea injunctum, ut preces ad Sanctos directæ ex Catechismis regnante Henrico VIII. impressis eliminantur, illi vero, qui sacras Imagines ex Ecclesiis acceptas in ædibus suis asservabant, illos confringerent, aut ante Mensis Junii exitum dilacerarent. Equidem huic mandato Episcoporum, ac Procerum non pauci refragabantur, atque inter alios Richardus Hatæus Vigorniensis Episcopus, cum novitatibus circa Ordinum collationem introductis nunquam assen-

assentiri vellet, in carcerem conjectus Sæcul XVI.  
A.C. 1550.  
fuit, eoquod rituale novum de initiandis Episcopis, ac Sacerdotibus approbare, constanter recusasset.

## §. XXXII.

*Modus initiandi Episcopos, & Presbyteros.*

**N**ova hæc forma latine conscripta nil nisi manuum impositionem complectebatur, quin ulla fieret mentio de unctione, sacris vestibus, instrumentorum traditione, aut de potestate offerendi Deo Sacrificium pro vivis, atque defunctis. Percipiamus vero, quisnam ritus pro inaugurandis Sacerdotibus fuerit præscriptus. Præprimis præmittitur eadem adhortatio, quæ pro S. Diaconatus Ordine designatur, dein ad hanc sequitur Cœnæ administratio, & postea legitur epistola ex capite vigesimo Actuum Apostolorum a decimo septimo usque ad trigessimum sextum versum, si vero eadem die Diaconi simul, & Sacerdotes initiandi sunt, tunc totum caput tertium epistolæ primæ ad Timotheum recitatur, cui etiam adjunguntur ultima verba ex postremo capite D. Matthæi, vel caput decimum S. Joannis a primo versu usque ad decimum septimum, aut denique vigesimum ca-

Sæcul. XVI.  
A. C 1550.

put ejusdem S. Evangelistæ a versu decimo nono usque ad vigesimum quartum. His ita prælectis recitatur, vel decantatur Hymnus de S. Spiritu: *Veni Creator Spiritus &c.* quo absoluto Archidiaconus initiandos Episcopo sistit, dicens: „ Reverende Pater in Christo!  
 „ exhibeo tibi omnes, qui hic præsen-  
 „ tes adsunt, ut ad S. Presbyteratus  
 „ Ordinem admittantur. „ Postmodum interrogati respondent, Episcopus vero facie ad populum versa inquit: „ Di-  
 „ lectissimi Fratres mei! ecce illos,  
 „ quos per Dei voluntatem ad sacrum  
 „ Presbyteratus ministerium admittere  
 „ decrevimus, cum post maturum exa-  
 „ men nihil in eis deprehenderimus,  
 „ quod illos hujus muneris indignos  
 „ redderet, unde speramus, quod le-  
 „ gitime vocati sint: si vero ex vobis  
 „ quisquam in illis grave quoddam cri-  
 „ men, aut legitimum impedimentum,  
 „ propter quod a tam sancto Ministerio  
 „ arcendi essent, sibi notum haberet,  
 „ statim pro Deo, & propter Deum il-  
 „ lud libere manifestet. „ Hac investiga-  
 „ tione facta juxta novum ritum recitantur  
 „ Litanix, ac Episcopus quamdam pre-  
 „ cationem supra initiandos effundit, ac  
 „ demum ab eisdem juramentum de su-  
 „ prema Regis potestate tam in sacris,  
 „ quam in profanis exigit, quo præstito pro-  
 „ lixa

lixa sequitur oratio, seu potius discursus, in quo illis sui muneris officium, ac juramentum hoc adimplendi necessitas exponitur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550

§. XXXIII.

*Interrogationes ab Episcopo Presbyteris factæ, eorumque responsa.*

**A**bsoluta hac oratione Episcopus quædam ab initiandis interrogat, cui & illi respondent. Præprimis sciscitatur Episcopus: „Anne tibi plene persuasum habes, quod juxta voluntatem Dei, ac Christi Domini, necnon secundum legitimam hujus Regni Constitutionem ad Sacerdotium vocatus sis? „ Respondet initiandus: „ Ita, de hoc persuasus sum: *Episcopus.* Credisne, quod omnis doctrina Christiana ad salutem æternam per fidem in Christum necessaria sufficienter contineatur in S. Literis? Erisne etiam sollicitus, ut populus tuæ curæ commissus hisce veritatibus imbuatur, easque edoceatur, adeo, ut nil omitas eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, atque ex ipsius sacri Codicis testimonio comprobari possunt: *Initiandus.* Ita, hoc credo, illudque cum adjutorio divinæ gratiæ adimplere paratus sum. *Episcopus.* Num

M 4

„ etiam

Sæcul XVI.,  
A.C. 1550.

„ etiam fideliter, & assidue studebis,  
 „ ut juxta Domini Dei præceptum, hu-  
 „ jusque Regni usum sanam doctrinam,  
 „ Sacramenta, & disciplinam Eccle-  
 „ siæ dispenses: num etiam omnem cu-  
 „ ram adhibebis, ut populum tibi cre-  
 „ ditum ad harum legum custodiam ob-  
 „ stringas? *Initiandus.* Id præstabo Deo  
 „ adjuvante. *Episcopus.* Visne fidelem,  
 „ & diligentem operam impendere ad  
 „ exterminandam quamcunque pere-  
 „ grinam, erroneam, verboque divi-  
 „ no contrariam doctrinam, aliosque  
 „ tam privatim, quam publice ad idem  
 „ faciendum provocare, ac excitare, &  
 „ hortationes, ac salutaria monita præ-  
 „ bere infirmis, & bene valentibus in-  
 „ tra Parochiæ tuæ limites existentibus?  
 „ *Initiandus.* Ita, hoc itidem opi-  
 „ tulante Numine præstabo. *Episcopus.*  
 „ Erisne assiduus in oratione, sacra-  
 „ rumque Literarum lectione; num  
 „ etiam operam navabis, ut verum sa-  
 „ cræ Scripturæ sensum assequaris, se-  
 „ motis omnibus carnis, & mundi af-  
 „ fectibus? *Initiandus.* Totum impen-  
 „ dam studium, ut id efficiam per  
 „ Dei gratiam. *Episcopus.* Num etiam  
 „ sedulo tuæ, tuorumque institutioni  
 „ juxta Christianam doctrinam invigi-  
 „ labis, ut Christi ovibus tibi commissis  
 „ exemplo sis? *Initiandus.* Conabor id  
 „ auxi-

„ auxiliante Deo exequi. *Episcopus.* An Sæcul. XVI.  
A.G. 1550.  
 „ quoque, quantum in te erit, procu-  
 „ rabis, ac conservare studebis pacem,  
 „ tranquillitatem, & charitatem inter  
 „ omnes Christianos, præcipue vero in-  
 „ ter eos, qui tuæ curæ nunc, vel im-  
 „ posterum erunt credendi. *Initiandus.*  
 „ Hoc itidem cum Dei auxilio faciam.  
 „ *Episcopus.* Præstabisne Episcopo tuo  
 „ obedientiam, aliisque præcipuis Ec-  
 „ clesiæ Ministris, sub quorum jurisdic-  
 „ tione eris, submisse eorum jussis obe-  
 „ diendo, teque salutaribus monitis,  
 „ ac paternis illorum correctionibus  
 „ subjiciendo? *Initiandus* respondet.  
 „ Ita est, obediam opitulante Deo. „  
 Absolutis omnibus hisce interrogatio-  
 nibus Episcopus ita pronuntiat: Deus  
 omnipotens, Pater noster cœlestis, qui  
 hanc vobis voluntatem concessit, con-  
 cedat insuper vires, ac facultates ad  
 hæc efficaciter præstanda, ut opus istud,  
 quod incepit in vobis, absolvat, vos-  
 que integros, ac inculpato inveniat in  
 supremo die. Dein populum hortatur,  
 ut sua quoque vota conjungat, Deoque  
 prosperum futuræ hujus inaugurationis  
 successum commendet.

Finitis hisce precationibus fat pro-  
 lixis, Episcopus, & Sacerdotes, qui  
 eum comitantur, cuilibet ex initiandis  
 genuflexis manus figillatim imponunt,

Sæcul. XVI. Episcopo hæc verba pronuntiante ;  
 A.C. 1550 „ Accipite Spiritum sanctum, quorum  
 „ remiseritis peccata, remittuntur eis,  
 „ & quorum retinueritis, retenta sunt.  
 „ Vos autem satagite, ut sitis fideles  
 „ dispensatores verbi divini, & Sacra-  
 „ mentorum, in Nomine Patris, &  
 „ Filii, & Spiritus sancti. „ Postea  
 idem Episcopus sacræ Scripturæ librum  
 cuilibet ex initiandis tradit, hæc ver-  
 ba subjungens : „ Accipe potestatem  
 „ prædicandi verbum Dei, atque ad-  
 „ ministrandi Sacramenta in Ecclesia,  
 „ quæ tibi committitur. „ His ita per-  
 actis una omnes decantant Symbolum,  
 ac demum sese disponunt ad Domini  
 cænam, quam omnes inaugurati reci-  
 piunt, quin tamen exeant loco, in quo  
 antea manuum impositionem accipien-  
 tes consistebant. Denique dicta ante  
 Benedictionem precatio, quam *Col-  
 lectam* vocant, tota solemnitas absolvi-  
 tur adjuncta oratione, qua Deus exora-  
 tur, ut suam benedictionem effundere  
 dignetur in hosce initiatos, atque ut  
 illi nil nisi ejus gloriam, Regnique in-  
 crementum quærant.

## §. XXXIV.

*Ritus consecrandi Archiepiscopos, at-  
 que Episcopos.*

Diversa erat Archiepiscoporum, ac  
 Præ-

Præfulum inauguratio, quippe pri-  
 mitus ex epistola prima ad Timotheum  
 tertium caput a primo versu usque ad  
 octavum prælegebatur, necnon quidam  
 versus ex capite decimo & vigesimo pri-  
 mo | S. Joannis recitantur, & dein de-  
 cantatur symbolum: his vero peractis  
 Episcopus electus illius Provinciæ Ar-  
 chiepiscopo, vel cuidam alteri ejus vi-  
 ces agenti sistitur a duobus aliis Episco-  
 pis, qui eundem Archiepiscopum his  
 verbis alloquuntur: „ Reverendissime  
 „ Pater in Christo! exhibemus tibi hunc  
 „ hominem pium, & doctum, ut Epi-  
 „ scopus consecretur. „ Post hæc Ar-  
 chiepiscopus proferri, ac publice præ-  
 legi jubet Regis mandatum de consecra-  
 tione Episcoporum: electo autem præ-  
 cipit, ut juramentum de agnoscenda  
 suprema Regis potestate, necnon de obe-  
 dientia suo Metropolitano exhibenda  
 præstet, si vero quisquam in Archie-  
 piscopum est consecrandus, tunc postre-  
 mum hoc jusjurandum de obedientia  
 præstanda non exigitur. Posthac cum  
 Consecrans assistentes hortatus est, ut  
 Dei opem implorent, ipse ad initian-  
 dum hæc verba dirigit: „ Charissime  
 „ Frater! scriptum est in Evangelio S.  
 „ Lucæ, quod Jesus Christus Salvator  
 „ noster tota nocte vigilaverit, prius-  
 „ quam suos Apostolos in univ<sup>er</sup>sum  
 „ orbem

Sæcul. XVI.

A.C. 1550.

---

Sæc. XVI.

A.C. 1550.

„ orbem mittendos selegerat, pariter  
 „ in Actis Apostolorum legitur, quod  
 „ Discipuli, qui erant Antiochiæ, in  
 „ jejunio, & oratione perseveraverint,  
 „ antequam Paulo, & Barnabæ ma-  
 „ nus imponerent, eosque destinarent  
 „ ad opus ministerii hujus: Itaque &  
 „ nos juxta exemplum Christi Domini,  
 „ suorumque Apostolorum, orationem  
 „ (\*) adhibebimus, priusquam ad-  
 „ mittamus quemquam ex iis, qui no-  
 „ bis sistuntur per operam illius, in  
 „ quo confidimus, quod Spiritus fan-  
 „ ctus eum vocaverit. „

His dictis decantantur Litanie, pro-  
 nuntiatis autem hisce verbis: *Ut Epi-  
 scopos, Pastores, & Ministros Ecclesiæ &c.*  
 additur: „ Ut tuam gratiam, & bene-  
 „ dictionem in hunc fratrem nostrum  
 „ electum Episcopum effundere digne-  
 „ ris, & ipse digne adimplere valeat  
 „ opus ministerii, ad quod vocatus est  
 „ pro Ecclesiæ utilitate, honore, lau-  
 „ de, ac nominis tui gloria: ad quod  
 „ populus respondet: *Te rogamus, audi  
 nos.* Hisce porro litanis adjungitur  
 precatio, in qua Archiepiscopus sedens  
 Electum alloquitur hæc ab eo sciscitans:  
 „ Charif-

(\*) NB. Jejunium omittitur; forte tum  
 in Anglia illud non erat juxta exemplum Chri-  
 sti, & Apostolorum.

„ Charissime Frater! monent nos sa- Sæcul. XVI.  
 „ cræ Paginæ, & veteres Canones, A. C. 1550.  
 „ ne cuiquam cito manum imponamus,  
 „ ac neminem temere ad regimen ad-  
 „ mittamus Ecclesiæ Christi, quam a-  
 „ quisivit sanguine suo; quapropter  
 „ priusquam te recipiamus ad sacrum  
 „ ministerium, ad quod vocatus es,  
 „ dignum, & justum est, ut quædam  
 „ a te quæramus, ut etiam de tua vo-  
 „ luntate præsentis certi, testesque  
 „ sint de ratione, qua Ecclesiam rege-  
 „ re velis: Igitur, num tibi persuasum  
 „ habes, te ad hanc administrationem  
 „ vere vocatum esse, juxta voluntatem  
 „ Domini nostri Jesu Christi, & Consti-  
 „ tutionem hujus Regni? *Respondet ele-*  
 „ *ctus*: Ita, id mihi persuasum habeo,  
 „ *Archiepiscopus*: Nunquid etiam tibi  
 „ persuasum habes, sacras Scripturas  
 „ sufficienter ad salutem requiri? Ita-  
 „ que statuis per easdem sacras Literas  
 „ populum fidei tuæ commissum instrue-  
 „ re, nihil præterea docendo, vel ad-  
 „ struendo tanquam ad salutem neces-  
 „ sarium, quod per easdem credas con-  
 „ firmari, vel demonstrari non posse.  
 „ *Electus reponit*: Ita mecum statui fa-  
 „ cere per Dei gratiam, nihil præterea  
 „ docendo tanquam ad salutem neces-  
 „ sarium. *Interrogat postea Archiepisco-*  
 „ *pus*: Num etiam promittis, quod sa-  
 „ cræ

Sæc. XVI.

A.C. 1550.

„ cræ Scripturæ studio vacare, Deum-  
 „ que, ut tibi verum illius sensum ape-  
 „ riat, rogare velis, tuque illius ope  
 „ adjutus ceteros sana doctrina imbue-  
 „ re, & eos, qui contradicunt veritati,  
 „ hortari, redarguere, ac erroris con-  
 „ vincere velis. „ *Electus subjungit:*  
 Id præstabo opitulante Deo. *Archiepisco-*  
*pus pergît electum interrogare, num para-*  
*tus sit fidelem, & diligentem operam impen-*  
*dere ad exterminandam quamcunque peregrin-*  
*nam, erroneam, verboque divino contra-*  
*riam Doctrinam, aliosque tam privatim,*  
*quam publice ad idem faciendum provocare,*  
*atque excitare,*

Etiam, *respondet Electus* ad hoc præ-  
 „ standum paratus sum divino confisus  
 „ auxilio. *Rursus interrogatur Electus:*  
 „ Renuntiabis etiam omni impietati,  
 „ ac desideriis sæculi, ut pie, juste,  
 „ ac sobrie vivas in hoc sæculo, ut po-  
 „ tens sis exhortari in doctrina sana,  
 „ & eos, qui contradicunt, arguere.  
 „ *Respondet Electus:* Hæc quoque exe-  
 „ quar per Dei gratiam. *Denique Ar-*  
 „ *chiepiscopus quærit:* An velit esse be-  
 „ neficus, ac miseratione plenus erga  
 „ pauperes, peregrinos, & opis suæ  
 „ indigos, ut sic meritorum Christi  
 „ particeps fiat. *Subjungit Electus:* Ta-  
 „ lem me geram adjuvante Deo. Fini-  
 „ tis hisce interrogationibus Archiepi-  
 „ sco-

scopus his verbis Deum precatur: Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.  
*Deus omnipotens Pater noster cælestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires, ac facultatem ad hæc efficaciter præstanda, ut opus istud suum, quod incepit in te, absolvat, teque integrum, ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.*

Post hæc sequitur Hymnus de Spiritu sancto, adjecta longa precatione, qua recitata Archiepiscopus electi capiti manus imponit, idem quoque per agentibus cunctis Presbyteris tum præsentibus: interea vero Archiepiscopus dicit: „ Accipe Spiritum sanctum, ac „ memor esto, ut resuscites in te gratiam Dei, quæ data est tibi per impositionem manuum nostrarum; non „ enim dedit nobis Dominus Spiritum „ timoris, sed potestatis, charitatis, „ ac temperantiæ. „ His dictis Archiepiscopus unam manum super electi caput tenens, altera sacrum Codicem ei porrigit, dicens: „ Assiduus esto in lectione, exhortatione, & doctrina eorum, quæ in hoc libro continentur; „ serio ea perpende, & satage, ut fructus laboris tui innotescat universo „ mundo: Attende igitur, & tibi, & „ doctrinæ tuæ; si enim fideliter eam „ exequeris, & tu, & illi, qui eam „ percipient, salvabuntur. Non agas „ lupum,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

„ lupum, sed Pastorem ovium Christi,  
 „ ducas eas ad bona pascua, non au-  
 „ tem devores illas. Sustine infirmos,  
 „ sana ægrotos, consolare eos, qui con-  
 „ trito corde sunt, quære illos, qui  
 „ perierunt. Sis plenus misericordia,  
 „ & miserationibus, nec unquam a tua  
 „ misericordia remittas, exercitatus  
 „ in disciplina, nec austerus sis; ut  
 „ tunc, quando supremus Pastor appa-  
 „ ruerit, accipias coronam gloriæ im-  
 „ mortalis. Per Christum Dominum &c.  
 Recitata hac precatio Archiepisco-  
 pus initiato, omnibusque Episcopis as-  
 sistentibus sacram Synaxin præbet, fi-  
 nitoque hoc ritu subjungitur precatio  
 ad normam, ut vocant, Collectæ, qua  
 Deus exoratur, ut in hunc Episcopum  
 recens inauguratum suam benedictio-  
 nem effundere, eumque Spiritu sancto  
 replere dignetur, quatenus digne suo  
 munere fungatur, cunctisque fidelibus  
 bono sit exemplo.

Hic fuit pro conferendis S. Ordini-  
 bus ritus sub Eduardo VI. hoc Anno  
 Christi millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo promulgatus; cum tamen  
 antehac Episcopus Sacerdoti Codicem  
 sacrum tradens, simul etiam eidem por-  
 rigeret calicem unacum hostia, dice-  
 retque verba hodiedum adhuc usitata:  
 porro postea calicem tradendi ritus fuit

abo-

abolitus. Insuper dum Sacerdos, vel Sæcul. XVI.  
 Episcopus initiabatur, tunc absque ul- A.C. 1550.  
 lo discrimine ante introductum hunc ri-  
 tum pronuntiabantur hæc verba: *Acci-  
 pe Spiritum sanctum in Nomine Patris &c.*  
 quin exprimeretur, an hæc verba ad  
 Episcopum, vel Sacerdotem dirigantur:  
 id vero, ut inquit, ea ex causa corre-  
 ctum est, ut confusio, quæ inde oriri  
 posset, præpediatur, unde hanc ob ra-  
 tionem novum, ut vocant, rituale di-  
 scrimen istud expressit, prout demon-  
 stratum est. Præscribebat insuper cer-  
 tam regulam, vi cujus nullus, nisi ex-  
 pleto vigesimo primo in Diaconum, nul-  
 lus nec in Presbyterum nisi vigesimo  
 quarto, ac denique nullus in Episco-  
 palem dignitatem assumeretur, nisi e-  
 menso trigesimo ætatis suæ anno. Ce-  
 terum quamvis hujus ritus Authores  
 opus omnibus numeris absolutum con-  
 sarcinasse, sibi viderentur, nihilominus  
 progressu temporis regnante Carolo II.  
 hoc rituale tam circa Sacerdotum,  
 quam Episcoporum inaugurationes gra-  
 vibus immutationibus fuerat obnoxium.

§. XXXV.

*De Bononia Gallis cedenda in Anglia  
 actum.*

Interea Comes Varvicensis sub primis *Belc comm.*  
 administrationis suæ auspiciis gravi- *l. 25. n. 20.*  
*Hist. Eccles. Tom. XL.* N bus

Sæcul. XVI. bus agitabatur curis, præcipue vero eum  
 A.C. 1550 follicitum tenebat Bononiense negoti-  
 um; quippe Galli inter hanc urbem,  
 ac Calletenses tam dextre omnem com-  
 meatus opportunitatem adimebant, ut  
 nullum inde subsidium amplius sperari  
 posset: equidem utraque pars vehemen-  
 ter pacem optabant, & præprimis qui-  
 dem Galli, ut eo potentius Cæsaris ma-  
 chinationibus invigilare possent: cum  
 autem Ministri, qui Eduardum rege-  
 bant, unice Bononiam conservare stu-  
 duissent, ut specioso obtentu Protecto-  
 ris exitium promoverent: hinc eo de-  
 presso Comes Varvicensis Senatum eo  
 adigere statuit, ut hanc urbem Gallis  
 reddi aquiesceret: nec vana erant Co-  
 mitis molimina; ne tamen prior ipse  
 hanc cessionem Gallis offerre videretur,  
 hinc ministerio usus est cujusdam Mer-  
 catoris Itali nomine Guidotti. Hic ita-  
 que alias in Trifantonum Portu com-  
 morans, quæsito quodam obtentu Pa-  
 risios contendit, ibidemque prospere  
 Montmorentii Connestabilis, qui præ-  
 cipuus Regis cliens erat, favorem au-  
 cupatus eidem exposuit, quod Angli  
 haud renitente animo Bononiam red-  
 derent, si eisdem in damni compensa-  
 tionem quædam auri summa offerretur.  
 Proponitur ea res Henrico II. Regi,  
 moxque Guidottus sæpius hinc inde  
 Lon-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Londinum, ac Parisios profectus, adeo dextre rem instruxit, ut ex communi utriusque Regis consensu decerneretur, ad quamdam Picardiæ urbem Legatos plena agendi facultate instructos esse mittendos, qui de pace, ac reddenda Bononiensi urbe agerent. Ergo ab Anglis nominatur Ruffolius, Pagetus, Petrus secretioris consilii Minister, necnon Massonus Eques: Galli vero deputabant Rupipotium ex Montmorentiorum genere ortum, Casparum Colignium, Morterium, & Sanium, qui ex eunte Mense Januario profecti ad quemdam locum Bononiæ vicinum contendebant, quo etiam Angli accesserant.

§. XXXVI.

*Pacis articuli ab Anglis propositi.*

Porro Angli in mandatis habebant: *Blackness*  
 I. Bononiensis urbis restitutionem *Newhaven.*  
 offerrent. II. Juvenis Scotiæ Regina in Regnum suum reducatur nuptura Angliæ Regi, cui jam erat desponsata. III. *Blackness*, & *Novo-havii* propugnacula solo æquarentur. IV. Pensio, quam Franciscus I. Henrico VIII. solvere promiserat, ulterius numeraretur, ac veteres pensiones nondum solutæ penderentur, quarum tamen solutio sufficeret, si forte totius pensionis  
 N 2 obti-

Sæcul. XVI. obtinendæ spes abesset. V. Vicissim  
 A.C. 1550. Angli Regis sui nomine promittere ju-  
 bebantur, quod de Scotiæ Regno dis-  
 sponere nolit absque consensu Caroli V.  
 si vero hic Cæsar consentiret, tunc Scotis  
 omnes eorum urbes redderentur, excep-  
 ptis Tevotiana, & Aymutiensi. VI.  
 Si Deputatis Eduardi connubium cum  
 Henrici II. Filia proponeretur, respon-  
 dere ipsis erat injunctum, quod eis hac  
 de re mandata deessent, necnon imbel-  
 lem adhuc Regis sui ætatem caussari  
 erant jussi. Porro Gallorum Oratores  
 hæc reponebant. I. Rex Dominus nos-  
 ter Mariam Scotiæ Reginam reduci,  
 permittet nunquam, eoquod illam Del-  
 phino Filio suo destinasset. II. Pen-  
 sionem quidem solvere promisit Franci-  
 scus I., sed in ea rerum suarum neces-  
 sitate, quæ tunc illum ad id cogebat,  
 de cetero Henricus ejus Filus Angliæ  
 Regis tributarius fieri renuit. III. Si  
 tamen pro certa pecuniæ summa Bono-  
 niensis urbis restitutio concedatur, Galli  
 circa hanc quoque conditionem pacisci  
 sunt parati. IV. Præterea Rex ipsorum  
 nullatenus permittet, ut Angli vel uni-  
 cam urbem in Scotia sibi vendicent.

§. XXXVII.

*Articuli pacis Anglos inter, & Gallos.*

Tandem post multas difficultates, at-  
 que

que altercationes ultro, citroque habi-  
 tas die vigesima quarta Martii Pax ut-  
 rinque firmata est, sancitis hisce foede-  
 ris articulis: I. Inter utrumque Regem,  
 eorumque subditos, Regna, & Provin-  
 cias tam nunc, quam in posterum aqui-  
 rendas pax firma, ac stabilis terra, ma-  
 rique servetur. II. Infra sex hebdoma-  
 das urbs, portusque Bononiensis una-  
 cum omnibus propugnaculis, arcibus-  
 que in Bononiensi Provincia constru-  
 ctis, ac nupero abhinc bello, quod in-  
 ter Reges Franciscum I., & Henricum  
 VIII. jamjam vita functos fuerat gestum,  
 munitis, necnon a Rege Eduardo hu-  
 cusque occupatis, ac possessis Henrico  
 Regi reddantur, simulque eidem cedan-  
 tur omnia belli tormenta, quæ tempo-  
 re, quo Henricus VIII. urbem ceperat,  
 ibidem reperiiebantur. III. Angliæ  
 Regi expensæ, quas ad reparandum ur-  
 bis statum, necnon ob aënonam, bellicæ  
 apparatus insumpserat, compensentur,  
 atque eidem Henricus II. bina solutio-  
 ne quadringenta millia aureorum, qui-  
 bus Solis figura impressa est, numeret,  
 ea lege, ut primam hujus summæ par-  
 tem die restitutionis factæ, alteram ve-  
 ro die decima quinta Augusti B. Vir-  
 gini in coelos assumptæ sacra pendat.  
 IV. In harum conditionum fidem ab  
 hac die usque ad Paschatis festa sex ut-  
 N 3 rinqve

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1550.

Belc l. c. l 25.  
 n. 21. Et seq.

Des traitez  
 de Leon. t. 2.

Act. publ.  
 Angl. de Ry-

mer t 15. p.

Burnet l. c.  
 p. 222. Et

223.

Sleid. comm  
 l. 22. p. 780.

Sæcul XVI  
 A C. 1550.

rinq̄ue obfides dentur, quorum tres Henricus pro fuo arbitrio perfoluta media pecuniarum parte revocare, Eduardus vero Rex post reſtitutam Bononiam mox omnes fuos obfides repetere poterit. V. Priusquam reſidua ducenta aureorum millia numerentur, Eduardus Reginae Scotiæ reddet ambas arcēs Laderanam, & Duglaſſium unacum omnibus belli tormentis, ceteroque armorum apparatu, exceptis tamen iis, quæ primum ex Hadina fuere allata. VI. Reſtitutis his duabus urbibus Eduardus Aymuthum & Tevotiam ſolo æquare adſtringatur, dummodo Regina Scotiæ pariter Laderam, & Duglaſſium demoliri jufferit, adeo, ut nulla harum quatuor arcium rurfus reſtauretur. VII. Haud amplius Eduardus Rex Scotos bello invadat abſque legitima cauſſa, qualis haud alia cenſeatur, niſi prius Scoti Regem inſeſtis armis adorianur. VIII. Angliæ Regi ſarta maneant ſua jura, tam contra Henricum II., ejusque Succellores, quam contra Scotiæ Regina, ejusque Regnum: porro viciffim Franciæ Rex, ac Scotiæ Regina ſibi ſua referrent jura, titulos, ac prætenſiones adverſus Regem, Regnumque Angliæ. De cetero in hoc foedere pariter comprehendebatur Imperator, id petente Edu-

Eduardo, necnon Maria Scotiæ Regi-  
na ad Henrici II. preces hujus pacti  
particeps fiebat, ea tamen conditione,  
ut intra diem quadragesimum post ini-  
tum fœdus sese declaret, an hisce arti-  
culis accedere velit.

Ceterum in hisce pactis potissimum  
Reginæ Scotiæ rebus prospectum fuisse  
videtur, partim, quod illa brevi Fran-  
ciæ Delphino esset desponsanda, par-  
tim, eoquod Henricus II. Franciæ Rex  
Scotos Regno suo forti amicitiae vin-  
culo conjunctos peroptaret: hinc con-  
ditionibus integra utrinque fide adim-  
pletis fœdus Ambiani præstito juramen-  
to ab Henrico Rege, & nobili Anglo  
nomine Cobanio, qui tum eo venerat,  
fuit firmatum: observandum enim ve-  
nit, quod hujus fœderis articulis Lon-  
dinum delatis Varvicensis Comes stu-  
diose adversam valetudinem simulasset,  
ne cogereetur ejusmodi subscribere paci,  
cui semper, potissimum autem tunc,  
cum Protectori exitium pararet, vehe-  
menter obluçtabatur. Verum hac agen-  
di ratione nonnisi fucum vendere sata-  
gebat; nam ipse suo etiam chirogra-  
pho omnia muniebat mandata, juxta  
quæ hi Deputati præsens fœdus con-  
cluserant. Interea Henricus Rex die  
decima quinta Maji solemnè pompa Bo-  
noniensem Urbem ingressus est, cum

N 4 jam

Sæcul. XVI.  
A.C. 1450.

Sæc. XVI.

A C 1550

jam antea Rapipotus hujus Regis nomine die vigesima quinta Aprilis ibidem fuisset exceptus, postquam Angli ducenta illa aureorum millia receperant. His ita peractis ambo Reges in plenæ amicitiae testimonium vicissim se Ordinum suorum insignibus honorabant, quinimo ipsemet summus Pontifex hac de re datis ad Scotiæ Reginam literis suam testabatur lætitiâ ob pacem cum Anglis prospere firmatam, eidemque de amplissimis gratulabatur commodis, quæ ex generoso Galliæ Regis patrocinio in eam redundarunt.

*Raynald. hoc  
ann. n. 29.  
Extat inter  
Brevia Julii  
III. P. p. 23.*

## §. XXXVIII.

*Pontificis diploma ad Franciæ Regem  
in favorem Baronis de Oppeda.*

*Raynald. l. c.  
n. 26.  
Jul. II. l. 2.  
Brev. p. 309.*

Aliud insuper Diploma idem Pontifex die vigesima octava Julii hoc anno Roma ad Henricum II. Franciæ Regem transmisit, eo fine, ut eidem causam Joannis Maynerii Baronis de Oppeda commendaret; cum enim hic vir longius in carcere a Gallis detineretur, ac quarto jam anno hujus causæ discussio differretur, hinc Pontifex, ut judicii acta maturarentur, præsens diploma ad Regem direxit; cujus tenor est sequens: *Cum nuper intellexerimus nobilem Virum Joannem Maynerium Baronem loci*

loci Oppedæ Cavallicensis Diœcesis in Ave-  
 nionensi Comitatu, vasallum nostrum in car-  
 ceribus jam diu detineri, & coram cæteris  
 officialibus tui Regni molestari: Nos atten-  
 dentes, quod Paulus Prædecessor, & Fran-  
 ciscus Rex, hæc tanquam ad honorem Dei,  
 & pro conservatione suæ fidei Catholi-  
 cæ fieri permisissent, Majestatem tuam  
 Regiam his nostris literis rogamus, &  
 hortamur, ut intuitu ejusdem Religionis,  
 & ne, si quæ adhuc in nostris partibus su-  
 persint, Hæreticorum reliquæ ex molestiis  
 eidem Joanni illatis sibi gloriam comparent,  
 Officialibus tuis prædictis mandes, ne eun-  
 dem Joannem occasione expeditionis loci de  
 Capreris hujusmodi, & quorumcunque in  
 illa gestorum in persona, vel bonis quomo-  
 dolibet molestare præsumant, quinimo eum  
 statim liberum dimittant; rem enim nobis,  
 qui hoc summopere cupimus, gratissimam  
 præstabis: plura super hoc referet noster a-  
 pud te Nuntius, cui plenam fidem adhibere  
 poteris. Nihilominus hoc negotium non-  
 nisi anno sequenti exitum fortiebatur.

## §. XXXIX.

*Alia ejusdem Papæ Diplomata ad va-  
 rios Principes.*

Eodem hoc anno Domini millesimo Rayn. n. 36.  
 quingentesimo quinquagesimo idem 39. 43. &c.  
 summus Pontifex alia adhuc diploma-

Sæcul. XVI  
 A. C. 1550  
 ta in Religionis negotiis ad diversos transmissit Principes, præcipue vero ad Antonium Navarræ Regem, cui respondit ad literas, quas idem hic Rex non ita pridem per Cardinalem Turnonium perscripserat. In hisce literis die secunda Augusti datis Pontifex eidem gratulabatur, quod in tuenda vera fide adeo præclare sese gessisset. Extat aliud diploma ad Sigismundum Poloniæ Regem, quem Papa, ne hæreticos e Germania abeuntes in Regnum suum irrepere pateretur, hortatur, simulque certiozem reddit, quod Concilium paulo post Tridenti sit continuandum, proin & ipse suos quoque Episcopos eo ablegaret. Porro cum Georgius Pomeraniæ Dux Protestantium doctrinæ aditum ad suas ditiones patefecisset, hique omnia sus, deque verteret, hinc Pontifex Culmensem Episcopum amplissimis instruxit mandatis, ut censuram fidei in hæreticos exerceret, redeuntes vero ad officium reconciliaret Ecclesiæ. Dabat hanc epistolam Pontifex die vigesima quinta Julii. Præterea occurrunt aliæ pariter literæ ad Poloniæ Episcopos die vigesima Decembris perscriptæ, in quibus eorum studium excitare nititur, ut sese hæreticis opponant, totoque conatu pro-

prohibeant, ne eorum errores sese  
in hoc Regnum insinuent.

Sæc. XVI.  
A.C. 1550.

Interea temporis cum hæresis in plu-  
ribus Europæ Regnis indies altiores  
ageret radices, veræ fidei lumen sese  
ulque ad extremas Asiæ ditiones diffun-  
debat: cum vero tam secundus Re-  
ligionis progressus præprimis Deo, &  
postea potissimum sollicitudini, ac  
vigilantiæ Joannis Lusitanæ Regis in  
acceptis referendus esset, hinc Ponti-  
fex suarum partium esse existimabat, ut  
dato ad Regem diplomate die decima  
tertia Februarii anni sequentis (\*) ei-  
dem tam amplam fidei segetem gratu-  
laretur in hæc prorumpens verba: *Te  
Fili in Christo charissime! inter cæteros  
Christianos Reges impense diligimus, &  
maximi facimus, non solum ob inclytam er-  
ga Deum pietatem, atque erga hanc sanctam  
Sedem observantiam, cæterasque virtutes  
tuas, quibus splendorem Regii culminis ex-  
ornas, sed etiam quod tuo, tuorumque  
Progenitorum beneficio, & navigationibus,  
ipse orbis terrarum antea ignotus, magna  
ex parte nunc cognitus, & quod plus est,  
Deo, ac vobis per agnitionem Christianæ  
veritatis acquisitus sit.*

§. XL.

(\*) Data est hæc epistola hoc anno Domi-  
ni millesimo quingentesimo quinquagesimo,  
quapropter corrigendus est Continuator.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550

§. XL.

*S. Francisci Xaverii progressus in  
Japonia.*

*Turfelin in* **E**nimvero hoc anno S. Franciscus Xa-  
*uita S. Fran.* verius Cangoximæ innumeros pene  
*Xav. l. 4. c. 1.* homines Christo lucrificerat; cum enim  
*2. & seq.* maximos omnino labores Goæ toleraf-  
*Bouhours l.* set, secumque quosdam Japonenses jam-  
*4. & 5. vide* jam ad veræ fidei lumen conversos re-  
*supra l. 145.* duxisset, Mense Aprili Anno Salutis  
*S. 97.* nostræ millesimo quingentesimo quadra-  
*Raynald. hoc* gesimo nono revulsis anchoris provehi  
*ann n 44.* gessit, in Japoniam longo itinere navi-  
*Orland hist.* gaturus. Venit navis nonnisi decima  
*Sec. l. 9. p.* quinta Augusti Cangoximam, Pauli  
*179. & seq.* Angeri patriam, qui erat unus ex illis  
quatuor Japonibus, quos Xaverius se-  
cum tanquam Evangelici Ministerii so-  
cios adduxerat. Hic idem Angerus,  
qui sacro Fonte ablutus Paulus a S. Fi-  
de nuncupabatur, accepto Xaverii man-  
dato profectus est ad Saxumanum Re-  
gulum, qui ex Japoniæ Regibus unus  
Cangoximam sibi subjectam tenens re-  
giam suam sexta, aut septima leuca a  
Pauli patria distitam habebat, multum-  
que favebat eidem Angero, priusquam  
ex oppido suo discesserat, ac supersti-  
tionem ejuraverat: Cum ergo Xaverius  
hujus Principis animum ad Christiano-  
rum

rum sacra propensum perciperet, hujus <sup>Sæc. XVI.</sup> regionis idioma aliquantulum addiscere <sup>A. C. 1550.</sup> studuit, ac magisterio hujus Japonis usus illam, quam in Indiis composuerat, Symboli Apostolici explicationem in illius Provinciæ linguam traduxit, & postea Saxumanum Regem adiit ab eo perbenigne exceptus, qui tamen Christo sese subdicere renuebat: Bonzii enim, quo nomine Japoniæ Sacerdotes, Monachi, Philosophi, ac Theologi appellantur, perperam huic Regulo insinuant, quod longe consultius esset avitam conservare Religionem: Cum autem hi Bonzii ex disputationibus cum Xaverio habitis plerumque convicti recederent, ignominia pudor acuebat magnum animi mærorem, quo patriæ suæ Religionem, cujus tamen depositum sibi creditum putabant, indies imminui deplorabant, quapropter in innumeris ferme calumniis opem quærebant, ut in populi animis Xaverio invidiam crearent, tandemque rem ad publicam vexationem deducerent.

§. XLI.

*Xaverius Cangoximæ præpeditus, Firandi, & Amangucii Evangelium prædicans.*

Cum Bonzii ingentem suam vitæ austeritatem plenis buccis deprædicarent, <sup>Turfelin 1. 5. cap. 5.</sup>

rent,

Sæcul. XVI. rent, eamque veluti firmum veræ  
 A.C. 1550. suæ Religionis testimonium jactarent,  
 Franciscus Xaverius, ne eisdem in quo-  
 cunque pietatis exercitio cederet, &  
 ipse longe parcius, duriusque vivebat,  
 persuasus, quod hac etiam ratione ve-  
 luti novo medio ad virtutum studia suo  
 exemplo excitare possit populum, qui  
 persæpe de rei summa nonnisi ex iis,  
 quæ oculis cernit, judicium ferre solet<sup>(\*)</sup>:  
 quapropter tam a carnibus, quam a pi-  
 scibus abstinens nonnisi amarissimis her-  
 barum radicibus, oleribusque aqua co-  
 ctis victitabat, quin tamen idcirco ob  
 novum hoc frugalitatis genus ei minus  
 virium, quam antea, esset. Nihilomi-  
 nus illius adversarii toti in eo erant, ut  
 eidem crebras identidem molestias crea-  
 rent, Regemque ei infensum redderent,  
 ejusque miracula exploderent, nec his  
 contenti importunis etiam suis sollici-  
 tationibus, edictum extorserunt, vi cu-  
 jus Regulus omnibus suis subditis pro-  
 hibuit, ne veterem patriæ Religionem,  
 cujus interpretes, ac depositarii essent  
 Bonzii, desererent, novamque legem  
 sequerentur, quam Europæ Bonzii, sci-  
 licet Xaverius, ejusque socii introdu-  
 xissent. Hoc edicto Xaverio omnis E-  
 vangeliæ in Saxumano Regno disse-  
 minandi spes præcisa fuit, adeo, ut pu-  
 fillum gregem suum centenis aliquot  
 Neo-

Neophytis constantem in fide roborare, Sæcul. XVI  
 eorumque tutelam Paulo a S. Fide com- A.C. 1550.  
 mittere cogeretur; quo factò ipse Cos-  
 ma Turriano, & Joanne Fernando com-  
 mitantibus Firandum, aliud Japoniæ op-  
 pidum commercii opportunitate apud  
 Lusitanos, aliosque Europæ Christia-  
 nos percelebre contendit. Erat ea urbs  
 olim Regni Figueni Metropolis ducen-  
 tis circiter milliaribus, seu septuaginta  
 leucis Cangoxima distans.

Postquam ergo Xaverius ad hanc  
 Regionem advenerat, a Rege omnem  
 libertatem ad Christi Evangelium in e-  
 jus Regno annuntiandum necessariam  
 impetrabat, primisque ipsius sermonibus  
 tam benevolæ præbebantur aures, ut  
 tertia hebdomada nondum emensa lon-  
 ge plures infideles Christianorum sacris  
 imbutos, sacro fonte Firandi abluere va-  
 leret, quam per integrum annum Can-  
 goximæ, & Saxumæ Christo lucriface-  
 re potuerit. Hac populi docilitate per-  
 motus ampliorem adhuc Evangelici la-  
 boris segetem sperabat Meaci, quæ  
 Me-

---

(\*) Perperam Continuator asserit a Xave-  
 rio hanc abstinenciam fuisse assumptam ex qua-  
 dam æmulatione, vel populum per externam  
 speciem captandi studio. Orlandinus citatus  
 hanc assignat causam: *Ne in cujusquam offen-  
 sionem incurreret.*

**Sæc. XVI.** Metropolis est Japonici Imperii, quod  
**A.C. 1550.** tum in plusquam sexaginta regna mi-  
 nora erat divisum: Igitur hanc urbem  
 petiturus Xaverius itineri sese accinxit,  
 relictaque Firandensium Neophytorum  
 cura Cosmæ Turriano, seu Torrez ex  
 suis fociis longe Zelosissimo, ipse Mea-  
 cum contendit per Nangerense Regnum,  
 cujus primaria Sedes est Amangucium,  
 urbs inter Japonenses opibus præpotens,  
 ac proin vitiis, ac voluptatibus, quæ  
 ferme semper individuæ sunt divitiarum  
 comites, omnium vel maxime dedita.  
 Id oppidum mari adjacet, atque in præ-  
 cipua Regionis parte situm ligneis te-  
 ctis constat, necnon familiarum circi-  
 ter decem millia complectitur, & abe-  
 se dicitur a Firando leucas ferme tre-  
 centas: huc ergo cum venisset Xaverius,  
 reperit nobiles viros permultos, plures-  
 que e plebe avidos cognoscendæ Reli-  
 gionis Christianæ, de qua rumor, ac  
 fama dudum jam multum pertulerat:  
 Itaque Xaverius in compitis, ac triviis  
 illos fidei dogmata edocere studuit, ea-  
 que conscripta prælegit, eoquod non-  
 dum idioma Japonicum probe caleret;  
 ipse enim in quadam epistola sua non  
 sine animi sui dolore queritur, quod  
 Japonum linguam ignoret: „ Hanc si  
 „ nossem, inquit Sanctus, haud dubi-  
 „ to, quin plures Christianæ Religioni  
 „ nomen

„ nomen daturi essent : Utinam brevi <sup>Sæcul XVI.</sup>  
 „ hoc idioma addiscere possem , tum <sup>A C. 1550.</sup>  
 „ enim Ecclesiæ obsequium præstare  
 „ potero , nunc autem inter hosce infi-  
 „ deles perinde , ac statua verfor. At-  
 tamen mirum videtur , quod Deus ,  
 cum Xaverio , prout vitæ ejus Historici  
 testantur , donum miraculorum in tam  
 eminenti gradu concederet , linguarum  
 tamen gratiam denegaverit adeo neces-  
 sariam , atque ex omnibus donis ma-  
 xime utilem , qua dotatus ad Aposto-  
 lorum imitationem tot Paganos ad E-  
 vangeliæ fidem perducere potuisset. Ve-  
 rum Deus dona sua distribuit , prout  
 vult , ac non raro contra ipsum ordi-  
 nem , quem nostro judicio magis ex-  
 peditum crederemus.

§. XLII.

*Xaverius Amangucii male habitus.*

Ceterum doctrinæ , quam Sanctus an-  
 nuntiabat , novitas brevi animos con-  
 citabat , nam multi quidem eam pronis  
 auribus excipiebant , alii autem pere-  
 grino Prædicantis habitu offensi illam <sup>Turfelin. l. c.</sup>  
 contemnebant , nec pauci quoque pa-  
 lam procacius Xaverium irridebant ;  
 quocirca per vias euntem non raro ve-  
 lut insanum , menteque captum copio-  
 sa puerorum , ac infimæ sortis homi-

*Hist. Eccles. Tom. XL.* O num

**Sæc. XVI.** num turba insequēbatur, qui suis sermonibus illudentes ea, quæ ab ipso perceperant, Christianæ fidei mysteria figillatim per jocum, ac ludibrium repetebant. Hæc ille omnia non tam contumeliam, quam contumeliæ causam reputans æquo, lætoque ferebat animo: cum autem postea ad Regem accersitus esset, mox ad illius Palatium accessit, necnon eidem genus, causamque sui in Japoniam adventus percontanti respondit, quod ipse natione Navarrus illic unice legis divinæ prædicandæ causa venisset, ac ipsos viam salutis edocere intentus esset. Postmodum Christianæ Religionis summam explicans potiore sui libri partem per integram ferme horam prælegit. Attamen Rex hujus Sancti sermonem flocci pendens audiendis sacris veritatibus sibi annuntiatis animum occludebat; cum ergo Xaverius haud operæ pretium ratus in ea urbe diutius versari, in qua Evangelii semen radices agere haud posset, seque tanquam in'anum, ac vagabundum haberi cerneret, Meacum pergere decrevit, quo etiam hyeme prope exacta Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo pervenit, quamvis ibidem Apostolicis suis conatibus, haud magis secundus adspirasset successus,



Sæc. XVI. tam Philosophicæ, quam Theologicæ  
A C. 1550. Positiones, unacum juniorum Magistro-  
 rum lucubrationibus tam soluta, quam  
 ligata oratione conscriptis ad eum trans-  
 mitterentur, quæ omnia ipse haud  
 gravate perlegit, seque præsentem discuti  
 voluit.

## §. XLIV.

*Ignatius Theologos Ingoldstadium mit-  
 tere a Guilielmo Bavaricæ Duce  
 rogatus.*

*Ribadin. in* Cum Hæretici in Universitate Ingol-  
*vita P Sal-* stadiensi Theologiæ honores pluri-  
*meron.* mum depressissent (\*), Guilielmus Ba-  
*Bouhours l c.* varicæ Dux per S. Ignatium quosdam  
*p. 319.* Theologos, qui ad hujus scientiæ, at-  
*Orlandin.* que Universitatis gloriam rursus restau-  
*n. 50. & 52.* randam idonei essent, sibi submitti ro-  
*ac seq.* gabat. Selegerat is Salmeronem, &  
 Canisium, quibus adjungebatur Pater  
 Jaius a Duce speciatim expetitus, eum-  
 que

(\*) Quantum Continuator a vero abludat,  
 notum est omnibus, qui perspectum habent,  
 quanto studio Guilielmus Bavaricæ Dux suam  
 Regionem ab hæreticorum face illibatam con-  
 servare studuerit, quantisque fidei Catholicæ  
 pugilibus, Eckio, Mauritio Eichstetenfi Epi-  
 scopo Cancellario, aliisque Doctõribus tum  
 hæc universitas floruerit.

que Ferrariæ Dux, in cujus ditione tum Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.  
Jaius agebat, ad Farnesii Cardinalis preces ad tempus haud ægre dimiserat. Ergo omnes tres itineri sese accingunt, ac Bononiam transeuntes ibidem præmisso examine consueto Theologiæ Doctores creantur, hocque honore aucti Ingolstadii perbenigne excipiuntur, & quidem Salmeron D. Apostolum Paulum, Jaius Davidis Psalmos, & Canisius Magistrum sententiarum explanandos susceperunt. Equidem Dux Societatis Collegium condere decreverat, verum morte præventus animi sui propositum exequi haud poterat, impense tamen S. Ignatii Discipulos Alberto Filio suo commendabat.

## §. XLV.

*Galli Societati D. Ignatii nullatenus propensi.*

Verum Jesuitæ Gallos sibi minus propensos experiri cogebantur; quamvis enim eorum nonnulli Parisiis essent, atque in Collegio Longobardico usque ad annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum habitarent, eo autem anno Guilielmus Pratus Claromontanus Episcopus in Episcopali suo Palatio in via Citharæ iisdem hospitium commodaret, eisque

O 3 quam

Sæcul. XVI.

A. C. 1550.

*Bouhours l.**l. 4. p. 320.*

quam plurima relinqueret bona, istis tamen uti prohibebantur, eo quod eorum societas in Francia, ubi ex Professoribus nullus aderat, civitatis juribus haud gaudebant: ideo postea Henricum II. impense sollicitabant, ut regias ipsi literas daret, vi quarum firmam ibidem sedem figere possent: ast primo Parliamentum vehementer obstitit, ac satis jam copiosum Religiosorum numerum in Francia esse contendit, præcipue cum hi ab Episcoporum subjectione, decimarum, necnon regalium jurium solutione exempti esse vellent, si nihilominus, addebant Parlamenti Patres, admittantur, priusquam res ad exitum deducitur, oportet Bullas a Pontificibus obtentas Parisiensi Episcopo, atque Universitati exhibere, eorumque sententias rogare. Verum hac ratione parum promovebatur hujus Societatis causa; quippe Eustachius Bellaius, qui tum Parisiensis erat Episcopus, D. Ignatii sociis adversabatur, eosque ob crebras calumnias valde suspectos habebat: quinimo Pater Bouhours Jesuita, qui S. Ignatii vitam conscripsit, observat:

„ Quod quidam Doctor Episcopi amicus  
 „ palam eis bellum indixisset, ubique di-  
 „ vulgans, quod Societas recens nata  
 „ monstro haud absimilis non diu dura-  
 „ tura sit, illiusque Auctor exigui no-  
 „ minis

„ minis Hispanus, vir fanaticus esset, Sæcul. XVI.  
 „ satiusque foret, pecuniarum subsidia A.C. 1550.  
 „ in obvios erogare mendicos, quam  
 „ in Jesuitas effundere, imo haud per-  
 „ peram fieret, si e regno ejicerentur. „  
 Hæ vexationes, quæ longo admodum  
 tempore durabant, nonnisi Anno Do-  
 mini millesimo quingentesimo sexagesi-  
 mo tertio finem sortiebantur, quo Je-  
 suitæ peramplas ædes, quas vulgo Lin-  
 gonenses vocabant, in platea S. Jacobi  
 emerunt, ac imbuendæ juventuti ope-  
 ram daturi, die vigesima nona Februa-  
 rii Anno Christi millesimo quingentesi-  
 mo sexagesimo, quarto publicis scholis  
 initium fecerunt, postquam hanc in rem  
 primo a Juliano de S. Germano Univer-  
 sitatis Rectore, postmodum vero ab ip-  
 so Rege diploma acceperant; Franci-  
 scus enim II. necnon Carolus IX. eis im-  
 pense favebant, quorum patrocínio tuti  
 Jesuitæ omnia, quæ eorum receptioni  
 opponebantur, obstacula gloriose su-  
 perarunt.

## §. XLVI.

*D. Ignatii Societas a Papa novis fa-  
 voribus aucta.*

Cum Jesuitæ in Galliis tot adversarios  
 offenderent, in omnibus aliis locis  
 ubique eorum virtus, ac præclara, quæ

Sæcul. XVI Ecclesiæ præstabant, deprædicabantur  
 A.C. 1550. obsequia, atque a cunctis hujus Societatis  
 institutio tanquam opus Dei com-  
 mendabatur, nam in Lusitania hæc So-  
 cietas vocabatur cœtus Virorum Apo-  
 stolicorum, qui ad restaurandam primo-  
 rum sæculorum sanctitatem in hoc ævo  
 a Deo selecti fuere: præsertim vero no-  
 vi hujus Instituti existimatio augebatur  
 ex eo, quod Julius III. Papa, cum ad-  
 huc in Tridentina Synodo primi Legati  
 munere fungeretur, hujus Societatis  
 merita sibi sat perspecta haberet, eam-  
 que amplissimis favoribus cumlaret,  
 necnon hujus Instituti Auctorem semper  
 singularibus benevolentia signis exci-  
 peret: vix enim Julius Pontificatum e-  
 rat adeptus, cum novus hic Præposi-  
 tus ad ejus pedes provolutus supplex  
 rogaret, ut Societatis suæ viris, qui  
 pro Ecclesia, & animarum salute in lo-  
 cis remotissimis scilicet in India, Brasi-  
 lia, necnon in Japonia versabantur,  
 Indulgentias Anni sacri, quas Papa  
 ad Pontificatum evectus Romæ indul-  
 ferat, promerendi copiam concederet,  
 ne Almam Urbem petere cogerentur. Pa-  
 pa tenero eos complectens affectu lu-  
 bens hoc singulare beneficium conces-  
 sit: insuper eisdem indulfit, ut ad sa-  
 cras hasce gratias rite promerendas ip-  
 sinet quicquid visum fuerit, suo ar-  
 bitrio

Reynald hoc  
 ann. n. 46.  
 Orland l 10.  
 n. 1. & 2.

bitrio suis præscribere valeant : quin-Sæcul. XVI.  
imo omnibus Societatis Presbyteris A. C. 1550.  
gratiam fecit, ut juxta privilegium  
Pauli III. contentes a reservatis pec-  
catis absolvere possent.

## §. XLVII.

*Societas per Bullam Julii III. con-  
firmata.*

Maximum illud erat Papæ benefici- *Orland. l. 106*  
um, quod in amplius suæ benevo- *no. 5. Et seq.*  
lentiae testimonium rursus Societatis  
Institutum speciali diplomate confirma-  
ret; in eo autem Romæ die vigesima  
prima Julii dato hæc exponit: *Siqui-*  
*dem per Paulum Papam tertium Prædeces-*  
*sorem nostrum accepimus, quod Ignatius*  
*de Loyola, ejusque socii exemplaris, ac*  
*religiosæ vitæ studiosi abdicatis hujus sæculi*  
*illecebris suam vitam perpetuo Domini nostri*  
*Jesu Christi, atque suo, suorumque succes-*  
*sorum Romanorum Pontificum servitio de-*  
*dicaverant, Et jam pluribus annis verbum*  
*Dei prædicando, Et fideles privatim ad pias*  
*meditationes, beneque, ac beate vivendum*  
*excitando, hospitalibus inserviendo, pueros*  
*Et alios rudes salubria dogmata ad Christia-*  
*ni hominis institutionem necessaria docendo,*  
*ac denique omnia charitatis officia, quæ ad*  
*animarum ædificationem pertinebant, ubi-*  
*que terrarum, ubi peregrinati fuerant, quis-*

Sæcul. XVI. A C 1550 que juxta traditam sibi ab ipso Spiritu sancto gratiam, multa cum laude obeundo, laudabiliter in vinea Domini se exercuerant; eorum institutum, sub quadam vivendi formula ab ipsis edita Evangelicæ veritati, & sanctorum Patrum sanctionibus conformis, ut vinculum charitatis, & unio ipsis quidem sociis, & aliis, qui prædictum vellent institutum sequi, conservarentur, approbamus, & confirmamus.

Quicumque ergo, prosequitur Papa, in societate, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ illius Sponsæ, sub Romano Pontifice Christi in terris Vicario servire, post solenne castitatis, paupertatis & obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutæ, ut ad fidei defensionem & propagationem, & profectum animarum in vita & Doctrina Christiana, per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum, ac rudium in Christianismo institutionem, Christi fidelium in Confessionibus audiendis, ac ceteris Sacramentis administrandis, spiritualem consolationem præcipue intendat: & nihilominus ad dissidentium reconciliationem, & eorum, qui carceribus, vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem & ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout  
ad

ad Dei gloriam, & commune bonum expe-  
dire visum erit, exequenda gratis omnino,  
& nullo pro suo in prædictis omnibus la-  
bore stipendio accepto se utilem exhibeat.

Insuper, inquiebat Papa, quicumque  
in hac Societate professionem emiserint, non  
solum in primis professionis suæ foribus intel-  
ligant, sed quoad vixerint, memores sint,  
Societatem hanc universam, & singulos,  
qui in ea profitentur, sub sanctissimi Domi-  
ni nostri Pauli tertii, & aliorum Romano-  
rum Pontificum Successorum ejus fideli obe-  
dientia Deo militare, & quamvis Evange-  
lio doceamur, & fide Orthodoxa cognosca-  
mus, ac firmiter teneamus, omnes Christi  
fideles Romano Pontifici, tanquam capiti,  
ac Jesu Christi Vicario subesse: ob devotio-  
nem tamen majorem ad obedientiam Sedis  
Apostolicæ, & majorem voluntatum sua-  
rum abnegationem, & certiores sancti  
Spiritus directionem summopere conducere  
judicavimus; singulos vos, & quicumque  
eandem in posterum professionem emiserint,  
ultra illud commune trium votorum vincu-  
lum, speciali ad hoc voto obstringi, ut quid-  
quid modernus, & alii Romani Pontifices,  
pro tempore existentes jusserint ad profectum  
animarum, & fidei propagationem pertinens,  
& ad quascunque Provincias vos mittere  
voluerint, sine ulla tergiversatione aut ex-  
cusatione illico, quantum in vobis fuerit,  
(sive vos ad Turcas, sive ad quoscunque  
alios

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Sæcul. XVI. alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, siue ad quoscunque hæreticos, schismaticos, seu etiam ad quosue fideles, mittendos censuerint ) exequi teneamini.

A. C 1550

Postmodum Papa fusius præter votum Paupertatis explicat illud, quo eorum Præposito Generali obedientiam præstent: præterea simul declarat, Quod neque Professi, nec ulla eorum domus, aut Ecclesia ad aliquos proventus, redditus, vel possessiones retinendas ius aliquod civile acquirere possint: Collegia tamen valeant habere eiusmodi redditus usibus & necessitatibus studentium applicandos, retenta penes Præpositum omnimoda gubernatione. Socii autem omnes, cum Præsbyteri esse debeant, ad dicendum Officium secundum communem Ecclesie ritum, sed privatim & non communiter vel in choro adstringantur. Demum agit Pontifex de Coadjutoribus, Scholaribus, iisque Sociis, qui duntaxat ad tria vota solemniter post sufficientes probationes admittendi sunt. Tandem in fine hujus Bullæ declarat Pontifex: Quod illos omnes sub sua, & Apostolica Sedis protectione suscipiat, necnon omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones & gratias eisdem concessas confirmet.

Orland. l. c. Paulo post idem Pontifex Præposito Generali præcepit acriter interposito obedientie mandato, ut quoties in posterum Professorum Domus Romæ in egestate esset, toties

toties ad eum fidenter, & sine verecundia  
reverteretur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 550.

§. XLVIII.

D. Ignatii propositum de abdicanda  
supremi Præpositi dignitate.

Sub idem ferme tempus S. Ignatius *Orland. l. 10.*  
Societatis suæ statuta typis imprimi *n. 51 & 52.*  
decreverat, nondum vero tum hoc su- *n. 67. 68. &*  
um animi propositum exequebatur; non- *seq.*  
nisi enim sub Patris Lainesii regimine  
post Ignatii obitum excusa comperimus:  
longe ardentius tamen tum, prout jam  
dudum apud se constituerat, Societa-  
tis gubernacula abdicare nitebatur, ut  
unice semetipsum (ita loqui solitus erat  
Ignatius) in ordinem redigere posset:  
cum vero ad continuandam hujus mu-  
neris sollicitudinem, si id in pleno Pa-  
trum consensu peteret, vehementibus  
precibus urgeri pertimesceret, hinc  
prius exploratis suorum Discipulorum,  
qui Romæ magno numero erant, ani-  
mis ad eos pericripit epistolam, in qua  
hæc exposuit: *In mea multa delicta, mul-  
taque vitia, & multas animi, corporisque  
infirmities intuens, saepe in eam penitus  
veni sententiam, mihi infinitis prope parti-  
bus deesse vires necessarias sustinendo oneri  
huic Societatis, quod in præsentia inductu  
& imposito ejus sustineo: opto itaque in  
Domino*

Sæcul. XVI. *Domino rem diligenter expendi, & alium deligi, qui melius vel certe non ita male regendæ Societatis munere fungatur, & hoc ad eum munus deferri: nec modo si melius aut minus male, sed etiam si pari modo gesturus sit. Quam ob rem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti unius Dei, & Creatoris mei ego simpliciter & absolute, quidquid muneris gero, depono, & ab dico, quæsoque, ac toto animo precor in Dominum Professore, tum quos illis ad hanc deliberationem assumere visum erit, ut hanc oblationem meam, adeo coram divina Majestate justam accipiant: sique inter eos, qui futuri sunt arbitri, forte non conveniret, per charitatem ac reverentiam, Dei nostri oro, ut impense rem ejus divinæ Majestati commendent.*

Verum hæc epistola omni penitus successu caruit; unde sanctus vir tantam inde conceperat mœstitiam, ut periculo obrueretur morbo.

## §. XLIX.

*Gandiæ Dux Romæ Societatis Institutum professus.*

*Orlan. n. 37. 38. & seq.* Paulo ante Franciscus de Borgia adhuc dum Gandiæ Dux, quamvis Societatem esset ingressus, Romam pervenit, postquam suas filias nuptui dedisset, ac filio suo natu majori totius ditio-

ditionis suæ regimen cessisset: Ineunte <sup>Sæcul XVI.</sup>  
 ergo autumnno hoc anno Christi millesimo <sup>A.C. 1550.</sup>  
 quingentesimo quinquagesimo comitan-  
 te eum Joanne filio suo ex Hispania  
 profectus sese Patribus adjunxerat. fir-  
 miter in animum inducens, se nunquam  
 amplius in Hispaniam reversurum, quam-  
 vis anno sequenti eo redire cogeretur:  
 nullatenus tamen Gandiam sua honora-  
 bat præsentia, sed Biscaia in Ognaten-  
 si Collegio diversabatur, ubi sese peni-  
 tus Deo dedicans cunctis humanæ pom-  
 pæ reliquiis nuntium mittebat. Porro  
 cum Romam ingressurus esset, obviam  
 ei processerant extra urbis portas Car-  
 dinalium nonnulli eum ad suas ædes  
 invitaturi; verum ille summa humilita-  
 te oblatos hosce favores recusans Pro-  
 fessorum domum apud Jesuitas, quos  
 tanquam fratres suos habebat, felige-  
 re maluit. Adventantem Ignatius ante  
 portam præstolabatur, eum velut filium,  
 ac amicum potius, quam potentem  
 Principem excepturus. Verum Dux eo  
 conspecto protinus suum comitatum di-  
 misit, ac cum ingenti animi ardore ad  
 Ignatii pedes provolutus est, a quo ta-  
 men mox erectus mutuo amplexu salu-  
 tatus fuit. Parabatur eidem cubile sat  
 commodum a ceteris Patrum habitatio-  
 nibus segregatum, ut esset aditus ad  
 salutandum Ducem sine domesticæ quie-  
 tis,

Sæc. XVI  
A.C 1550. tis, ac disciplinæ perturbatione perop-  
portunus. Ceterum Dux tempore, quo  
Romæ morabatur, sex aureorum num-  
mum millia pro fundando Collegio,  
quod hodie Collegium Romanum ap-  
pellatur, numeravit, illud vero Grego-  
rius XIII. postea certis proventibus ple-  
ne instruxit.

§. L.

*Pontificis studium in reprimenda hæ-  
resi in Italiam irrepente.*

Raynald. hoc  
ann. n. 37. Ceterum Julius III. Papa fervens suum  
fidei studium non tantum ad id, ut  
fideles protegeret, iisque ad veræ Re-  
ligionis præcepta accurate exercenda de  
omnibus necessariis auxiliis provideret,  
restrinxit, sed etiam suarum partium ef-  
fe arbitrabatur, ut ab eis id omne remo-  
veret, quod eorum fidem vel corrup-  
pere, vel labefactare posset: quapro-  
pter errorem devincere, ac hæresin re-  
primere totis viribus adlaborabat; cum  
enim perversam doctrinam clandestinis  
artibus in Italiam irrepere perciperet,  
adeo, ut hisce novitatibus etiam qui-  
dam Theologiæ Professores ex Ordine  
Mendicantium, nec non plures Parochi,  
eorumque Vicarii favere viderentur,  
atque hujus mali contagio Mutinæ la-  
tius, quam alibi sese diffunderet, hinc  
Papa

Papa hujus urbis Episcopo in mandatis <sup>Sæc. XVI.</sup>  
 dedit, ut rescissis omnibus privilegiis, <sup>A C 1550.</sup>  
 quæ antea Religiosorum Ordinum Pro-  
 fessoribus erant concessa, cunctos de re  
 Catholica male sentientes ab admini-  
 stratione Sacramentorum, sacrisque  
 Concionibus habendis arceret. Porro  
 cum Brixie ejusdem erroris venenum  
 adeo serperet, ut Vincentius Nigusan-  
 tius Arbensis Episcopus, ac Cardinalis  
 Episcopi Brixiani Vicarius magna hæ-  
 reticorum multitudine territus munus su-  
 um abjicere meditaretur, hinc Julius Papa  
 illum in suscepto officio persistere jussit,  
 præcepitque, ut in hæreticos severe  
 animadverteret, simulque eidem fidem  
 fecit, quod Magistratus Veneti in tuen-  
 da Religione Orthodoxa, prout erant  
 solemniter polliciti, nunquam eidem de-  
 futuri essent: quinimo Pontifex hanc in  
 rem literas perscripsit ad Franciscum  
 Donatum Venetiarum Ducem, ejusque  
 Senatum.

§. LI.

*Contentio Papam inter & Venetos.*

Verum hæc animorum consensio Pa-  
 pam inter & Venetos sub idem tem-  
 pus non nihil violata est quodam ino-  
 pino casu; videbatur enim Venetis,  
 quod Inquisitionis Judices minus suo  
<sup>Anghel Mas-  
 sarei. in dia-  
 rio p. 388.  
 Raynald. l. c.  
 n. 38.</sup>  
*Hist. Eccles. Tom. XL.* P mune-

Sæcul. XVI

A.C 1550.

muneri satisfacerent, ac quandoque privatis affectibus sese abduci paterentur: hinc nuperrime lege publica statuerunt, ne hi Judices cognoscant de hoc crimine absque consensu aliorum Judicum Laicorum, qui accusationum capita discutiant, junctaque cum illis opera sententiam proferant. Quamprimum Pontifex de hoc edicto certior fuerat factus, mox illius executioni sese pro viribus opposuit: ut autem adhuc efficacius eidem resisteret, Constitutionem edidit adversus eos, qui libertatem Ecclesiasticam impedire, sacramque jurisdictionem turbare præsumperint, præcipue vero Laicos repressit, qui sententias circa hæresis crimen latis discutiendi potestatem sibi arrogabant, inter quos speciatim nominabat Venetos: „ Qui novissime, ut inquit Pontifex, his diebus lege publica statuerunt, ut per eorum dominium nullus Inquisitor vel Ordinarius cognoscat de dicto crimine absque assistentia, & interventu deputatorum sæcularium per eos constituendorum, quod mirum in modum suæ Sanctitati displicuit, idque nullo modo pati vult.

Constitutionem hanc ita efformatam Papa in Purpuratorum conventu die decima tertia Decembris habito examinan-

minandam exhibuit, quæ publice co-  
 ram omnibus Cardinalibus prælecta a  
 singulis fuit approbata, cumque omnes  
 eam publici juris fieri peterent, paulo  
 post feria sexta hebdomadæ majoris an-  
 no Christi millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo primo promulgata fuit.

§. LII.

*Nicolai Rodulphi Cardinalis obitus.*

Mortuo Paulo III. Pontifice Maximo  
 usque ad exitum hujus anni supra  
 millesimum quingentesimi quinquagesi-  
 mi sacrum Purpuratorum Collegium  
 ammisit sex Cardinales, quorum unus  
 Sede vacante, ceteri vero post Julii III.  
 electionem vivis erepti fuere. Horum  
 primus erat Nicolaus Rodulphus patria  
 Florentinus, atque ex avo materno suo  
 Nepos Leonis X. proin Petri Rodulphi  
 & Medicææ Filius. Hic idem ex Pro-  
 tonotario Apostolico ab eodem Papa  
 die prima Julii Anno Domini millesimo  
 quingentesimo decimo septimo Cardina-  
 libus Diaconis tit. SS. Viti & Modesti  
 adscriptus, progressu temporis Floren-  
 tinum & Salernitanum Archiepiscopa-  
 tum administravit, ac licet ætate junior  
 esset, rexit tamen Ecclesias Forolivi-  
 entem, Imolensem, & Viterbientem,  
 Postea mutato Ecclesiæ suæ titulo Dia-  
 coniam

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1550.

Ciacon. t. 3.  
 vit. Pontif.  
 p. 408.  
 Bembo l. 15.  
 ep. 48.  
 Aubery vie  
 des Card  
 Ugh. in ita-  
 lia sacra.  
 Amirel della  
 Famil. Flor.

Sæcul. XVI.  
A C. 1550.

coniam S. Mariæ in Cosmedin, & dein illam S. Mariæ in *via lata* accepit, ac Clementi VII. Leonis X. Successori percurus exstitit, cunque præclaris omnino animi dotibus præstaret, per totum vitæ suæ cursum sancti Episcopi partes digne explebat. Erat is Salernitanus Archiepiscopus eo ipso tempore, quo Barbarossa ad Dioecesis istius vastationem exscenderat, sed sancti hujus Episcopi meritis rursus absque gravi fidelium damno auffugere compellebatur. Excipiebat quoque Nicolaus in eadem urbe Paulum III. Papam, & Carolum V. Cæsarem, qui illuc Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo trigesimo sexto advenerant, quamvis, ut fertur, paulo post obitum Pauli III. ipse etiam Rodulphus die vigesima Januarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo Romæ fati fungeretur. Inter hujus Cardinalis epistolas una est Cardinali Cibo nuncupata, in qua eidem Florentinorum Rempubliacam impense commendat, insuper aliæ etiam existant ad Cardinalem Cortesium scriptæ, quæ tamen nonnisi officiosas gratulationes complectuntur.

§. LIII,

## §. LIII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550.*Philippi de la Camera Boloniensis  
Cardinalis mors.*

Alter erat Philippus de la Camera Sa-  
baudus, ac Filius Ludovici Came-  
ræ Comitis, necnon Annæ de Bolonia,  
quæ primis nuptiis Alexandro Stuart  
Albanix Duci juncta erat. Porro Phi-  
lippus prima ætate S. Benedicti institu-  
tum professus, demum Corbeiensis Ab-  
bas, ac Nantuaci Prior, tandem Bolo-  
niæ in Picardia Episcopus renunciatus  
est, quam etiam Ecclesiam regebat, dum  
a Clemente VII. post Colloquium cum  
Francisco I. Massiliæ Anno Christi mil-  
lesimo quingentesimo trigesimo tertio  
habitum, Cardinalis creatus est tit. S.  
Martini in montibus, quem tamen ti-  
tulum dimittens illum S. Mariæ Trans-  
tyberin adoptavit Tusculanam Eccle-  
siam adeptus. Interfuit sacris comitiis,  
suumque suffragium contulit Paulo III.  
& Julio III. Pontificibus, a quorum pri-  
mo privilegium obtinuit, vi cujus ru-  
brum galerum, aliasque vestes, ac Car-  
dinalium ornamenta in ditionibus Gal-  
liarum Regi subjectis, necnon in Sa-  
baudiæ Ducatu gestare poterat, qui-  
bus tamen alias Cardinales Regulares  
ornati procedere haud permittuntur.

P 3

Obiit

Sæcul. XVI A.C. 1550. Obiit Romæ nono Calendas Martii seu die vigesima prima Februarii post Julii III. electionem illo tempore, quo tam Annus sacer celebrabatur; sepultus est in Ecclesia FF. Minimorum SS. Trinitatis in Monte Pincio.

## §. LIV.

*Innocentius Cybus Cardinalis mortuus.*

*Ciac p. 241.* *Amirat in* *hist. Flor.* *Panvin de* *Rom. Pontif.* *Viñorel. ad-* *dit. Ciacon.* Inter illos, qui hoc anno vivis erepti sunt, tertius fuit Innocentius Cybus patria Genuensis, ac Filius Francisci An- guillaræ Comitis, qui filius erat Joan- nis Baptistæ postea assumpto Innocen- tii VIII. nomine ad Pontificatus apices evecti. Anno post Christum natum mil- lesimo quingentesimo decimo tertio die vigesima tertia Septembris Innocentius a Leone X. avunculo suo Cardinalis Dia- conus tit. SS. Cosmæ & Damiani, nec- non S. Romanæ Ecclesiæ Camerarius nominatus est: cum vero hic idem Pon- tifex olim ab Innocentio VIII. Cardina- lis creatus Innocentium Cybum eadem dignitate auget, in hujus creatione hæc verba protulit: *Quod ab Innocentio accepi, Innocentio restituo.* Ceterum In- nocentius plures administrabat Eccle- sias, Massiliensem in Francia, Tauri- nensem in Pedemontio, Volaterranam, Ven-

Ventimiliensem, Britonoriensem in Italia, atque Aleriensem in Corsica. Pluribus quoque Urbibus præfuit Archiepiscopus Messanensi in Sicilia, Genuensi in Italia, & Bituricensi in Galliis: Legatione pariter functus est Bononiæ, & in Romandiola, pluresque urbes capto Clemente VII. in Pontificii obsequio continuit, cumque eo tempore plures Cardinales ex Italia discedere, atque Avenionem petere decrevissent, ipse re comperta mox Romam contendit, eosque ad mutandum animi propositum impulit. Plurimum insuper Medicæ Familix rebus consuluit, quando Alexander Dux Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo septimo ex insidiis fuit trucidatus; tum enim ipse Florentinæ ditioni præfuit, ac Cosmam Joannis Medicæi Filium in illius possessione firmavit. Præcipue inclaruit in Bononiensi, Parmensi, ac Placentina Legatione, ac dextre sibi Caroli V. Cæsaris, quem bina vice Messanæ excepit, amicitiam, necnon Francisci I. benevolentiam conciliabat, a quo ultimo etiam Massiliæ S. Victoris, necnon Rothomagi S. Ovani Abbatias acceperat. Hic idem Cardinalis tum Messanensis erat Archiepiscopus, dum Patres Societatis Jesu Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo octavo in

Sæc. XVI.  
A.C. 1550.

*Panvin. Vi-*  
*Etorel. Aube-*  
*ry l. c.*  
*Paul. Jov.*  
*hist. lib. 46.*  
*Ughel. in*  
*Italia sacra.*

Sæcul. XVI. præfata urbe Collegium adepti fuerant;   
 A.C 1550. parumper tamen Pauli III. indignationem incurrisse videtur, eoquod Neptem suam Juliam Varanam Urbinatum Duci pollicitus, promisso stare cunctaretur, ut illam Octavio Farnesio ejusdem Pontificis Nepoti desponsaret. Ceterum hic Cardinalis potissimum promoverat Julii III. electionem: ast tandem ipse die decima tertia vel decima quarta Januarii ætatis suæ anno quinquagesimo nono, Christi vero millesimo quingentesimo quinquagesimo Romæ mortalitatem exiit, sepultus in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, ubi hodie dum illius inscriptio sepulcralis visitur. Inter Principum literas reperiuntur plures, quas Barletus, Puccius, Joannes Maria de Monte, Joannes Salviatus, Rodolphus & Gaddius Cardinales ad Innocentium perscripserunt, eique Florentinam Republicam commendarunt.

## §. LV.

*Cardinalis Lotharingii fata.*

*Ciac. p. 418. Frizon. & Aubery l. c. Ughel addit. ad Ciacon.* Quartus erat Joannes de Lotharingia Renati II Hierosolymæ, ac Siciliæ Regis, & Lotharingiæ ac Calabriae Ducis, necnon Philippæ de Gueldria filius, quæ postea marito orbata Ordinem S. Claræ

Claræ professa est. Natus erat Joannes <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 die nona Aprilis Anno post Christum <sup>A.C. 1550.</sup>  
 natum millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, fratresque habuit Claudium I. Guiliæ Ducem, necnon Ludovicum Metensem, ac Verdunensem Episcopum. Anno Domini millesimo quingentesimo secundo Joannes quartum ætatis suæ annum emetiebatur, cum die tertia Novembris per Alexandri VI. diploma Metensis Episcopatus, quem tum Pro-patruus illius Henricus Lotharingus Valdemontii Princeps rexe- rat, Coadjutor nominaretur, ea tamen conditione adjecta, *ut hanc Ecclesiam non administraret, donec vigesimum ætatis suæ annum attigisset.* Progressu temporis idem Joannes pluribus aliis Archiepiscopatibus, atque Episcopatibus augebatur, & quidem Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo decimo septimo Tullensem, anno autem sequenti Morinensem obtinuit, annumque agens vigesimum Narbonensis Archipræsul cedente Julio Medicæo nominatur, necnon vigesimo tertio Verdunensem, vigesimo quarto Lucionensem, ac denique trigesimo tertio ætatis suæ anno Valentinensem, eodemque anno Rhemensem Archiepiscopatum adeptus est. Fluxerat annus Domini millesimus quingentesimus trigessimus sextus, cum itidem præter Lug-

Sæcul. XVI  
 A.C. 1550  
 dunensem, & Albinensem Archiepiscopatum, tandem etiam Diensem, Maticonensem, Vannetensem, & Agenensem Ecclesias gubernaret: cum vero tam amplæ sollicitudinis onus hujus Præsulis humeros nimium gravaret, ceteris omnibus dimissis Episcopatibus nonnisi tres retinuit, nimirum Tullensem Episcopatum, ac Albiensem & Narbonensem Ecclesias, quibus etiam adjunxit Abbantias S. Georgii, S. Ovani, seu Audoeni, necnon Fiscanensem, Cluniacensem & Majoris Monasterii. Hic idem primus erat ex laicis, qui Cluniacensem Abbatiam a Guilielmo Aquitanæ Duce Anno a Christi nativitate nongentesimo decimo erectam rexit. Cunctis hisce dignitatibus præcipue accensenda venit purpura, qua die vigesima octava Maji Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo decimo octavo a Leone X. honoratus fuit. Ceterum ejus Palatium semper extitit literatorum, ac bene meritorum asyllum, ipsusque pluribus comitiis in Germania ob Religionis dissidia celebratis interfuit, ab anno autem Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo Franciæ negotiis distentus raro admodum Romana urbe excessit, ac denique absolutis sacris comitiis, in quibus Julius III. eligebatur, in Gallias reversurus die decima

cima Maji Anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo quinquagesimo Neviaci ad Sæcul. XVI,  
 A.C. 1550.  
 Ligerim apoplexia tactus obiit, post-  
 quam quinquagesimum secundum æta-  
 tis suæ annum expleverat. Corpus e-  
 jus primo Joinvillæ, ac demum apud  
 Franciscanos Nanceii terræ inandatum  
 fuit.

## §. LVI.

*Sfondrati Cardinalis extrema.*

Quintus erat Franciscus Sfondratus Ciac. p. 700.  
 Aubery Es  
 Ughel. l. c.  
 Ant. Mar.  
 Camp. hist.  
 Cremonens.  
 Anno Incarnationis Dominicæ mil-  
 lesimo quadringentesimo nonagesimo  
 quarto Cremonæ natus ex Joanne Ba-  
 ptista percelebri Jurisconsulto, ac Ludo-  
 vici Sfortiæ Mediolanensis Ducis Sena-  
 tore, necnon ex Margarita Homodei.  
 Ipsemet quoque Franciscus non modo  
 Mediolanensis Senator, sed etiam Ca-  
 roli V. Cæsaris Consiliarius ab eo-  
 dem Senas, ut Senenses inter se dissi-  
 dentes placaret, mittebatur, quo in mu-  
 nere sibi gloriosum Patris Patriæ nomen  
 emeruerat. Postea uxorem duxit An-  
 nam Antonii de Vice-Comitibus, ac  
 Somæ Toparchæ filiam, ex qua præter  
 quatuor filias, quæ sacrarum Virginum  
 Familiis sese dicaverant, duos suscepit  
 Filios, Paulum & Nicolaum, quorum  
 hic postea in Papam electus Gregorii  
 XIV.

Sæcul. XVI. XIV. nomen assumpsit. Cum autem harum prolium Mater eundem Nicolaum eniti haud posset, quin ex ejus' ventre partus excinderetur, & illa paulo post moreretur, Franciscus ejus Maritus sacræ militiæ nomen dedit, ac Romæ Paulum III. Papam accedens ab eodem Sarnensis Antistes, ac demum Amalphitanus Archiepiscopus renunciatus est. Interfuit etiam in Germania Pontificis Legatus comitiis Spirensibus, simulque Carolo V. Cæsari pacem nuper cum Francisco I. Galliarum Rege initam gratulatus est, eodemque, quo ibidem morabatur, tempore a Papa die decima nona Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Cardinalis tit. SS. Nerei, ac Achillei nominabatur; mox vero ex Galliis Romam reversus a summo Pontifice rubrum galerum accepit, ab eodemque Papa Legatus ad Cæsaris aulam decretus promulgando edicto *Interim* pro viribus restitit, quamvis oleum & operam perderet. Præterea Perusina Legatione functus Cremonæ in patria sua Episcopus salutatus est, parumque absuit, quin mortuo Paulo III. eidem in Pontificatu succederet: electo autem Julio III. ad Cremonensem Episcopatum reversus ibidem eodem anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo

geimo die trigesima prima Julii animam Sæcul. XVI. A.C. 1550.  
Deo reddidit, in sua Cathedrali Eccle-  
sia sepultus. Vulgabatur Venetis lite-  
ris quoddam hujus Cardinalis poema,  
cui titulus: *De raptu Helenæ.*

## §. LVII.

*Ambasiani Cardinalis obitus.*

Denique sextus inter eos, quos sacrum Ciac. p. 707.  
Purpuratorum Collegium hoc an- Frizon, Au-  
no luxit, erat Georgius de Ambasia bery, Ughel,  
natione Gallus, ac celebris Cardinalis loc. c.  
itidem Georgii de Ambasia Rothoma- Sanmarth.  
gensis Archiepiscopi, primique Franciæ Gall. Christ.  
Ministri Nepos. Is Patrem habuit Jo-  
annem de Ambasia Dynastam de Buffy  
Normanæ Provinciæ Proregem, Ma-  
trem vero Catharinam de sancto Belino,  
ex quorum connubio pariter procreati  
fuerant Godefredus Cluniacensis Ab-  
bas, Jacobus Ambasianus Dynasta, &  
Joannes Episcopus Lingonensis. Ha-  
buit Georgius jurisprudentiæ Magistrum  
percelebrem Philippum Decium, qui  
eidem suum *de rescriptis* commentarium  
nuncupabat. Primum ille fuit Ecclesiæ  
Rothomagensis Canonicus, postea The-  
saurarius, & Archidiaconus, Abbas Do-  
lensis, ac denique Rothomagensis Ar-  
chiepiscopus. Defuncto Patruo hujus  
urbis Archipræsule a capitulo Cathedra-  
li

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

drali Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo in Succesorem postulatus veniam ætatis, cum non nisi vigesimum tertium annum tunc ageret, a Sedis Apostolicæ Legato obtinuit, eisque postulatio Romæ in publico Purpuratorum senatu confirmata fuit, ineunte autem Mense Augusto Año post Christum natum millesimo quingentesimo undecimo admissus, hujus Archiepiscopalis Ecclesiæ possessionem per Procuratorem Mense Novembri nactus est, demum vero die undecima Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo decimo tertio Gallione inauguratus octavo post die cum ingenti pompa in sua Ecclesia Cathedrali excipiebatur. Tandem ad Galliarum Regis preces die decima sexta Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto a Paulo III. purpura decoratus Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri nominatus est: anno autem sequenti Cardinalitium pileum in Bituricensi Templo ad S. Stephanum recepit. Romam is venerat, cum idem hic Pontifex vivis eriperetur, ubi interfuit comitiis, in quibus Julius III. creabatur. Celebravit insuper Rothomagi Anno Salvatoris millesimo quingentesimo decimo quarto Provinciale Concilium, necnon in reparanda atque ornanda Ecclesia sua ingentes pro-

profudit expensas. Obiit in eadem Diœ-  
 cesi sua die vigesima quinta Mensis Au-  
 gusti hoc anno reparatæ salutis millesi-  
 mo quingentesimo quinquagesimo, &  
 ejus cor Pontifaro in Franciscanorum  
 coenobio depositum, corpusque in Ec-  
 clesia Rothomagensi haud procul ab Al-  
 tari majori in Patru sui tumulo condi-  
 tum fuit.

## §. LVIII.

*Mors & Historia S. Joannis  
de Deo.*

Eodem hoc anno mortalitatem exiit *Rayn. ad an.*  
 sanctus Joannes de Deo sacrae Fa-  
 milia ab Hospitalitate nuncupatae Fun-  
 dator. Natus is erat die octava Martii  
 Anno Christi millesimo quadringentesi-  
 mo nonagesimo quinto ex parentibus  
 pauperibus, ac ignobili genere or-  
 tis Montemajoronavi, quod exi-  
 guum quidem Lusitaniæ oppidum, Co-  
 mitatus tamen titulo insignitum in Al-  
 teneiana Provincia Eboriensis Diœ-  
 cesis situm est. Educabatur Joannes a  
 suo Patre nomine Andrea Ciudado, ejus-  
 que Matre, cujus nomen ignoratur, in  
 assiduo pietatis exercitio usque ad octa-  
 vum, vel circiter nonum ætatis annum,  
 quo juvenis a quodam incognito Sacer-  
 dote, quem parentes in sua domo ho-  
 spitio

Sæc. XVI.

A.C. 1550.

*Baillet vies  
des Saints  
tom. 1. 8. de  
Mars.*

spitio excipiebant, incio eius Patre ac Matre Oropesam Castellæ oppidum abducebatur & ab eodem postea in itinere Madritum versus derelinquebatur. Itaque omni ope ac consilio destitutus, cuidam homini probi nomine Mayoralo sua addixit obsequia, a quo nonnisi decimum quartum ætatis annum agens, ad villam suam mittebatur, ut ibidem armentorum curam gereret. Vix eo advenerat Joannes, cum illico cunctas actiones suas adeo probe institueret, ut ejus vita nonnisi continuus piorum exercitiorum concursus esse videretur, hinc illius Dominus famuli sui virtutes admiratus, evolutis quibusdam annis eidem suæ familiæ curam ruri demandabat, eumque omnium suorum bonorum Administrum constituit, tandemque illi filiam suam nuptui dare promisit. Verum juvenis hic cœlibem vitam conjugii molestiis longe præferens, oblatas hasce nuptias respuit, cumque Domini sui sollicitationes effugere pararet, sese periculo exposuit longe majori, ac erat id, quod declinare studuerat; cum enim anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo Carolus V. Fontis arabiam seu Fontem rapidum Gallis eripere decerneret, hancque urbem obsidione premeret, Joannes cuidam pe-

centu-

centuriæ, quam Joannes Ferruz Nobilis conduxerat, nomen dedit.

Sæcul XVI.  
A.C. 1550.

Verum Joannis mores adeo modesti, ac bene compositi, quibus hucusque assueverat, per novum hoc vitæ genus tantopere corrumpebantur, ut perversorum exemplo veluti torrentis impetu abreptus illam verecundiam, ac modestiam, quæ semper in ejus actionibus elucescebat, sensim amitteret; quapropter neglectis solitis pietatis exercitiis in omnia scelera, quæ militaris vitæ licentia suggerit, sese præcipitem dedit, quin indomita suorum affectuum libertas ullo pudoris repagulo cohiberi potuerit. Attamen Deus, qui Joannem sibi selegerat, illum tam variis, ac funestis malis premi permisit, ut undique graviter afflictus tandem in se reverti, ac profanæ militiæ nuntium mittere decerneret. Ergo Oroperam redux pristinum suum Dominum Mayoralum adit, a quo non sine lætitia exceptus denuo administrandæ rei domesticæ præficitur. Verum decimo post anno fama ubique divulgante, quod Cæsar Turcis bellum illaturus copias conscriberet, bellicus sanguis in Joannis venis rursus ebullire cæpit, quapropter denuo militiæ adscriptus in Hungariam usque delatus ibidem castra secutus est, donec Turcis sese recipientibus Cæsar Hispanis copiis

*Hist. Eccles. Tom. XL.* Q missio-

Sæcul. XVI  
A.C. 1550.

missionem fecisset: Itaque Joannes cum ceteris dimissus in patriam suam reversus est, ubi de Patris, Matrisque suæ obitu per Patruum suum certior factus in Andalusiam venit, inde vero Septam, ad Africæ oram progressus, ibidem aliquamdiu substitit: verum inde Gibaltaram, seu Calpen reversus manuum labore victum quærere satagebat, vitæque suæ dies cum ingenti pietatis laude transigebat. Eo tempore haud minus quam quadraginta annis erat Joannes, qui ex victus parsimonia quasdam colligens pecunias, illas in emendis sacris Imaginibus, Christianæ Doctrinæ libris, aliisque precationum libellis, ut illos Gibaltaræ divenderet, insumpsit, hac igitur ratione aucto exiguo illius ærario Granadam proficisci constituit, ubi libros prope Regiam urbis portam vœnum exposuit, postquam vero compererat, quod Joannes Avila, qui passim Andalusis Apostolus nuncupabatur, occurrente D. Sebastiani festivitate in Eremitica domo eidem Sancto sacra prædicatum adveniret, mox Joannes hunc Prædicatorem excepturus accurrit, ejusque sermone cor suum tam intimo dolore tactum sensit, ut in lacrimas difluens totam Ecclesiam ejulatac lamentis repleret, unde a non paucis tanquam fanaticus deridebatur, ipse  
vero

Sæc. XVI.  
A.C. 1550.

vero pectus suam dire contundens, vul-  
tumque dilacerans ipsam quoque bar-  
bam, ac capillos sibi evulfit, & sese in  
lutum demergens præteritæ vitæ suæ  
noxas amare deploravit, tota vocis con-  
tentione Dei misericordiam implorans.  
Habebatur ab omnibus tanquam insa-  
nus, puerique in eum lapides jaciunt,  
illumque insequuntur, adeo, ut undi-  
que sanguine madens in domum suam  
reverteretur. Verum ab illo temporis  
articulo Joannes unice suas eo curas in-  
tendit, ut omnibus bonis suis penitus  
abdicatis ad extremam sese redigeret  
paupertatem, rursumque caput, pedes-  
que nudus, solo indusio, ac femorali-  
bus indutus tanquam phreneticus per  
urbem curfaret, donec tandem ad  
Cathedralem Ecclesiam perveniret.

Cum autem Joannes tam insolitum  
vitæ genus ducere cæpisset, ex quo A-  
vilæ sermonem perceperat, hinc ad  
eundem hunc Concionatorem eo fine  
deducendus comprehendebatur, ut per  
ejus sermonem tam periculose læsa hu-  
jus Viri phantasia forte sanari posset.  
Equidem Avila ad conspectum hujus  
hominis luto, ac sanguine respersi atto-  
nitus hæsit, ubi vero cum illo remotis  
arbitris solus conferebat, tantopere de  
illius, qui non ita pridem tanquam in-  
sanus passim deridebatur, pijs consiliis

Q 2

ac

Sæcul XVI ac sermonibus lætabatur, ut ipse illum  
A.C. 1550. in sancto suo proposito magis firmare  
 fatageret, eique in cunctis occasionibus  
 se præsto futurum polliceretur: igitur  
 Joannes hujus Viri Apostolici præsidio  
 lætus arbitrabatur, quod nunquam fa-  
 tis se omnium abjectissimum ostendere  
 posset, nisi rursus sese tanquam insanum  
 omnium ludibrio exponeret, hinc id eti-  
 am modo tam insolito exequabatur, ut  
 stolidorum domui inclusus singulis die-  
 bus usque ad sanguinis effusionem ver-  
 beraretur, quo supplicio ad tam peri-  
 culosum vitæ suæ statum redigebatur,  
 ut Doctor Avila re comperta ipsum in  
 Hospitali visum iret, atque hortaretur,  
 ut tandem voluntariam hanc insaniam  
 manifestaret, atque exercitiis suæ, ac  
 proximi sui salutis longe magis profi-  
 cuis operam daret. Paruit quantocius  
 Joannes Avilæ monitis, unde Hospita-  
 lis Ministri hunc Virum tam subito sa-  
 næ menti, ac judicii usui restitutum  
 admirantes, tanta illum sollicitudine cu-  
 rabant, ut intra breve temporis spa-  
 tium integre pristinam valetudinem vi-  
 resque recuperaret.

Nihilominus Joannes per aliquot ad-  
 huc Menses in hoc Xenodochio persi-  
 stens, inde nonnisi vigesima prima Men-  
 sis Octobris secessit, ut Directoris sui  
 monitis aquietens votum, quo Deo in-  
 ter

ter pauperes inservire promiserat, ad-  
 impleret. Huic igitur pio exercitio ini-  
 tium dedit, instituta hanc in rem pere-  
 grinatione sacra ad ædes Beatæ Virgi-  
 nis prope Guadalupam in Extremadura  
 Lusitanica sitas, ubi inter primas  
 curas habuit, ut ad forum ligna depor-  
 tans ea divenderet, atque ex lucro in-  
 de hausto quosdam pauperes aleret.  
 Unde non pauci probitate magis con-  
 spicui tam rara virtute animati eidem  
 varia subsidia conferre certabant, at-  
 que sanctus horum eleemosynis auctus æ-  
 des conducebat, ad quas infirmos depor-  
 tans illis cum tanta Oeconomia, soler-  
 tia, ac prudentia inserviebat, ut uni-  
 versam urbem in admirationem rape-  
 ret. Hæc prima fuere incunabula ce-  
 lebris illius Nosocomii Granatensis,  
 necnon totius Ordinis, cujus Alumni  
 vocantur *Fratres de Misericordia*, quo-  
 rum Institutum brevi tam stupendo suc-  
 cessu diffundebatur, ut illud Dei opus  
 fuisse haud dubitandi locus superesset.

Verum sancti hujus Viri chari-  
 tas nequaquam infirmorum cura tan-  
 quam limitibus sese constringi pa-  
 tiebatur, quapropter cuncta illorum  
 etiam pauperum, qui victum emendi-  
 care erubescabant, miseriis subveniendi  
 media sollicite explorabat, illisque,  
 quorum opera a nemine conducebatur, la-

Q 3

boran-

Sæcul. XVI.

A C. 1550.

Sæcul XVI  
A.C. 1550.

borandi occasiones, ne otio tabescerent, procurabat, speciali tamen sollicitudine innuptis dote, ac ope destitutis, præcipue quando adhuc erant juvenes, prospexit, eorumque necessitates sublevavit, necnon de eorum alimentis cavuit, ut eas illius mali periculo subduceret, cui illas tam rerum inopia, quam sexus imbecillitas exposuerat. Quinimo ipsa etiam ingrediebatur lupanaria, ut inde mulieres prostitutas revocaret, easque ad meliorem frugem reduceret: cum vero hac actione facile quorundam male sentientium calumniam sibi accersere posset, hinc Avilæ Directoris sui consilia secutus hac in re tantam adhibuit cautelam, ac prudentiam, ut universa Granatensis civitas uberes tantæ charitatis fructus amplis celebraret encomiis, quippe quamplurimas ejusmodi fœminas ad omne scelus proclives e libidinis publicæ cœno reduxit, eisque de alimentis providens in idem crimen recidendi occasiones sustulit. Tandem piis hisce exercitiis penitus intentus, atque in oratione assiduus corporis quoque afflictationes longe rigidissimas adjunxit, adeo, ut charitatis laboribus, pœnitentiæ austeritate, ac continua exercitatione omnibus viribus, licet alias robustioris esset corporis, penitus exhaustus in morbum incideret, animamque

que Deo redderet inter brachia Archie-  
 piscopi, qui excepta illius confessione  
 eidem sacrum Viaticum, sacrumque o-  
 leum administrabat, pollicitatione facta,  
 quod omne æs alienum solvere, atque No-  
 focomia ab eo in urbe, ac Diæcesi Gra-  
 natenſi erecta perficere, necnon pau-  
 peribus Familiis mendicato vivere eru-  
 bescentibus, quibus Joannes clam pro-  
 spexerat, subvenire, ac prostitutas mu-  
 lieres Christo lucrifactas alere velit.

Contigit hujus sancti Viri obitus hoc  
 anno Domini millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo die octava Martii, ea-  
 dem nimirum die, qua Joannes primam  
 lucem aspexit, tum nonnisi quinquage-  
 simum quintum ætatis suæ annum a-  
 gens. Sepultus est FF. Minimorum ha-  
 bitu indutus in suorum Religiosorum  
 Templo, quod vulgo domus Beatæ Vir-  
 ginis de Victoria nuncupatur. Postea  
 Anno Christi millesimo sexcentesimo  
 trigesimo ob miraculorum præstantiam  
 Beatorum catalogo ab Urbano VIII.  
 Papa adscriptus, demum anno Domini  
 sexcentesimo nonagesimo supra millesi-  
 mum ab Alexandro VIII. inter Cælites  
 relatus est.

Sæcul. XVI.  
 A.C 1550.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

§. LIX.

*Augustinus Steuchus Eugubinus hoc  
anno mortuus.*

*Sixtus Sen  
Bibl. sacra.  
Miræus de  
Script. Eccl.  
Sæc. XVI.  
Dupin. Bibl.  
des Auth.  
Eccl. t. 14. in  
4to p. 183.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo rebus humanis valedixere, primo loco venit Augustinus Steuchus Eugubii, quod est Urbinatis Ducatus in Italia oppidum, ex parentibus honestis quidem, adeo tamen pauperibus ortus, ut puer humaniores literas addiscendi ope destitutus manuum labore victum quærere cogeretur, ac non raro tam pane, quam diversorio careret. Hac inopia usque ad vigesimum ætatis suæ annum pressus tandem Canonicorum Regularium Institutum in Congregatione S. Salvatoris profitebatur, ibidemque aliquantum respirare visus totum sese literarum studio dicabat, adeo, ut deficiente oleo, quod ei parcius subministrabatur, noctu surgens ad Ecclesiæ lampadem studiis vacaret; cum autem per septem annos tam uberes in literis progressus fecisset, ut Vaticani Bibliothecarius nominari mereretur, linguarum orientalium scientia adjutus non sine magna facilitate omnes Codices nondum typis vulgatos, qui ibidem asservabantur, ad meliorem formam redegit. Paulo post a Paulo III.

Pon-

Pontifice Kifami in Creta Episcopus fuit Sæc. XVI.  
A.C. 1550.  
nominatus, inde vero Romam revocatus a sua Sanctitate ad Tridentinum Concilium decernebatur. Obiit ut mox memoravimus Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo.

## §. LX.

*Hujus Scriptoris opera.*

**H**ic idem inter ingenii sui monumenta reliquit plura, eaque sat erudita in sacros libros opuscula, ex quibus primum *Cosmopæiam, seu de mundi opificio* inscripsit, in eoque tria priora Geneleos capita explauat, necnon de creatione mundi, Angelorum, & cœlorum, & insuper de antiquitate, ac veritate Historiæ Mosaicæ, & denique agit de iis, qui post diluuium genus humanum in orbe propagarunt. Utitur ibidem Hebraico textu, necnon septuaginta Interpretum versione, expositoque sensu literali & Historico Scriptorum veterum & profanorum testimonia profert, quibus præter Judæos ab aliis quoque Nationibus cognitum fuisse mundi principium ostendit, & nequaquam historicas æque, ac Philosophicas annotationes inferere præmittit.

Sæcul. XVI.

A. C. 1550

Alterum ejusdem Scriptoris opus complectitur notas in Pentateuchon, ubi textum cum versione Græca, ac latina confert. Tertium opusculum continet commentarium literalem in librum Job, ac in quarto habetur itidem commentarius in quadraginta septem Psalmos. In quinto hanc quæstionem: *An vulgata editio sit D. Hieronymi?* examinat, atque affirmantium parti accedit, levia tamen in eam menda irrepsisse haud diffitetur, affirmatque neglecta hac editione textui hebraico insisti posse. Scripsit etiam sextum tractatum de *perenni Philosophia*, in quo libello profunda eruditione pleno demonstrat, quod Paganorum Philosophi *Ens quoddam supremum* agnoverint, simulque admiserint Mundi, Angelorum ac dæmonum creationem, necnon hominis efformationem, atque animæ immortalitatem; quinimo non defuisse quosdam asserit, qui quamdam etiam de SS. Trinitatis mysterio cognitionem habuerunt. Denique postremum hujus Scriptoris opus consistit in duobus libris de dubia Constantini Magni donatione, quam tamen ipse pro aris, & foris propugnat adversus Laurentium de Valle, qui eam tanquam falsam explodebat.

§. LXI.

## §. LXI.

*Petri Valeriani obitus.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Alter ex Scriptoribus erat Pierius ex *Spond. ad*  
nobili Bolzanorum familia Belluni *hunc ann. n.*  
in Marchia Tarvisina natus, qui in literario *II.*  
Orbe pluribus editis opusculis celebrem *Imperialis in*  
fese reddidit, ingentemque nominis sui *mus. hist.*  
famam sibi conciliavit. Porro nono æ- *Gesner. in*  
tatis suæ anno Patre suo orbatus ad tan- *Bibl. Dupin.*  
tam redigebatur inopiam, ut Venetiis *Bibl. des Au-*  
famulum agere cogeretur, cumque in *theurs l. 6.*  
misero hoc statu aliquamdiu lanquesce-  
ret, ex Patruis suis quidam nomine Ur-  
binus ex Ordine Fratrum Minorum, qui  
Leonem X. Papam olim literis imbuerat,  
illum in suum conventum recepit, eum-  
que literas humaniores edocuit, non sine  
ingenti studiorum progressu; quippe in-  
ter ævi sui doctissimos facile Princeps  
ab ipso Clemente VII. seligebatur, ut  
Hippolytum, & Alexandrum Medicæos,  
ambos Papæ Nepotes literis institueret.  
Recusabat is Histrianum & Anconitanum  
Episcopatus, unice contentus Proto-  
notarii Apostolici munere, vi cujus Ro-  
mæ subsistere compulsus plurimos an-  
nos literarum studio, rerumque maxi-  
mi momenti sibi commissarum curæ sa-  
crabat. Appropinquante autem vitæ  
suæ exitu ad Monasterium S. Antonii  
Pata-

**Sæcul. XVI.** Patavii situm secessit, ibidemque Anno  
A.C. 1550 Christi millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo extremum diem clausit, an-  
 nos natus octoginta tres.

Posteris reliquit commentarios in  
 Virgilium, Belluni patriæ suæ antiquita-  
 tes, & tractatum *de infelicitate literatorum*,  
 necnon alium, cui titulus: *de fulminum*  
*interpretatione*: præter varia alia profana  
 opuscula. Inter ea, quæ quadan-  
 tenus de Ecclesiasticis argumentis age-  
 re videntur, præcipuum est apologia,  
 quam de Sacerdotum barba composuit,  
 nata occasione ex impensis sollicitatio-  
 nibus, quibus Papa ad condendum de-  
 cretum, ne Sacerdotes prolixam bar-  
 bam nutrent, urgebatur. Ibidem Pe-  
 trus res oppido curiosas recenset de Ma-  
 jestate barbæ longius diffluentis, quæ  
 omnia ipse ex lege Mosaica in veteri Te-  
 stamento comprobare nititur: cum ve-  
 ro eidem Concilii Carthaginensis Canon  
 ab Alexandro III. (ut dicebatur) con-  
 firmatus opponeretur, hæc a præfato  
 Concilio fuisse prohibita negavit, tex-  
 tumque in rem suam vertit, affirmans  
 quod Alexandri III. decretum ad Can-  
 tuariensem Archiepiscopum datum fuerit  
 depravatum, verbumque *Barba* post no-  
 men *Comam* sit intrusum, hocque Ca-  
 none duntaxat prohiberetur capillos  
 longos, ac crispatos nutrire, nulla facta  
 men-

mentione de Barba. Denique exemplum Sæcul. XVI. A C. 1550.  
 Julii li. & Clementis VII. qui prolixas gestabant barbas, in medium producit, præter plurimos ævi sui Judices, pluresque Cardinales, Archiepiscopos atque Episcopos, qui omnes longius prominentes barbas habebant. Tandem suæ dissertationi finem imponit, adstruens, quod, si hac super re quicquam corrigi oporteret, longe utilius foret, si cuncti Sacerdotes Barbam radere, quam illam nutrire prohiberentur.

§. LXII.

*Mors Andreæ Alciati celeberrimi Jurisconsulti.*

Præterea eodem hoc anno duo Jurisconsulti alias nominatissimi decesserunt, Andreas Alciatus, & Eguinarius Baro, quorum primus Anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo die prima Maji Mediolani natus Jasonis Cenomanensis Magisterio usus Papiæ, ac tandem sub Carolo Ruino Bononiæ Jurisprudentiam didicit, postea vero Avenione, ac Biturigibus, quo Francisci I. liberalitate accersebatur, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo nono eandem scientiam publice professus est: Cum vero in Galliis non nisi invitus

*Spond. l. c.  
 Thu. l. 8.  
 Joan. Imperial. elog.  
 doct.  
 Bossius in  
 orat. Funeb.  
 Alciati apud  
 Crassum.*

Sæcul. XVI. A.C. 1550. invitus detineretur, evoluto quinto anno inde secessit, ac Papiam Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio reversus, Ferrariam contendit, ut ibidem Jurisprudentiæ præcepta publice prælegeret, summis cedens precibus Herculis II. Ducis, qui eidem magnam pensionem assignabat. Tandem Alciatus post quatuor annorum intervallum tertia jam vice Papiam rediit, ubi etiam die duodecima Januarii Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo vitam cum morte commutavit annos natus, ut refert Thuanus, quinquaginta octo, totidem menses, ac quosdam dies. Sepultus est in Ecclesia S. Epiphanii, cum prius Prototarii, ac Palatini Comitatus dignitate a Paulo III., necnon Senatoris honoribus a Cæsare, amplisque donis a Franciæ & Hispaniæ Regibus esset auctus; non desunt tamen, qui illum ob edacitatis vitium, summamque avaritiam carpunt. Scripsit plura Jurisprudentiæ opuscula, necnon quædam emblemata, quæ satis elegantia ad probam vitæ institutionem, morumque correctionem plurimum conducere possunt.

Alter erat Eguinarius Baro, Leonensis Brito, qui Biturigibus unacum Francisco Duaceno itidem Britone jus civile tradebat, cum vero instigante æmu-

æmulatione se vicissim scriptis lacefferent Sæc XVI.  
 Duacenus Apologiam de Jurisdictione A.C. 1550.  
 & Imperio aduersus Eguinarium divul-  
 gabat, paulo post tamen ob muneris,  
 quod obibant, similitudinem, animo-  
 rum quoque consensionem restaurabant.  
 Obiit Eguinarius hoc anno die vigesima  
 secunda Augusti, anno ætatis suæ quin-  
 quagesimo quinto, cui Duacenus, ut  
 publicum suæ erga socium suum existi-  
 mationis testimonium relinqueret, epi-  
 taphium apposuit.

§. LXIII.

*Aliorum Doctorum fata.*

Ad eundem annum refertur obiisse Spond. l.c.  
 Marcus Antonius Flaminius, filius do- Sanmarth.  
 ctissimi Patris, qui Imolæ natus pluri- in elog.  
 ma opuscula tam soluta, quam liga- Leand. Al-  
 ta oratione & præcipue Romano- berti in de-  
 rum Cæsarum historias, plurimum ex Or- script. Ital.  
 dine S. Dominici vitas, necnon tres Et illust. Vir.  
 titulorum libros, ac duo epigrammata con- Ord. Præd.  
 scripsit, tandemque Anno post Christum Miræus de  
 natum millesimo quingentesimo trigesi- script. Sæ-  
 mo sexto obiit. Ejus Filius nomine cul. XVI.  
 Marcus Antonius patria Foro-Corne- Pecatet. in vi-  
 liensis in arte poetica inter Italos lon- ta Card. Poli.  
 ge præstantissimus insuper summam re-  
 rum naturalium cognitionem cum rara  
 morum probitate conjungebat. Hic  
 idem

Sæcul. XVI. idem aliquamdiu inter familiares Ale-  
A.C. 1550. xandri Farnesii Cardinalis ab eodem ut-  
 pote insigni Literatorum fautore amplif-  
 simis cumulabatur beneficiis, simulque  
 singulari Cardinalis Poli benevolentia  
 honoratus est, quo hortante, præ cæteris  
 omnibus suis popularibus prior vena ad-  
 modum felici Psalterii Davidici Maje-  
 statem prorsus divinam carminibus ex-  
 pressit, suoque exemplo Franciscum  
 Spinolam ad ejusdem laboris gloriam  
 incitavit. Ceterum Flaminius juvenili  
 adhuc ætate Mense Aprili Anno Salva-  
 toris nostri millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo morte præventus dece-  
 sit, eique animam agenti Paulus III.  
 adhucdum Cardinalis adstitit.

## §. LXIV.

*Parisiensium Facultatis Theologicae  
 censura.*

*Argentre*  
*Collect. judic.*  
*to. in append.*  
*p. XVII. &*  
*no. 2. p. 161.*

Non plures, quam duæ censuræ hoc  
 anno a Facultate Theologica Pa-  
 risiensi pronuntiatæ reperiuntur, in qua-  
 rum prima die decima quinta Octobris  
 Parisiense Ecclesie Pœnitentiarii nomine  
 condemnatur Martialis Masurieri liber,  
 cui titulus: *Instructio & Doctrina ad perse-*  
*ctam confessionem, & orationem ad Deum.* Al-  
 tera censura, quæ magis notatu digna est,  
 Facultas suum judicium fert contra Ca-  
 techis-

techismum, quem Gerardus Russelius Sæc. XVI.  
A.C. 1550.  
seu Rufus Eloronensis Episcopus edidit, eique hunc titulum præfixit: *Familiaris expositio ad normam colloquii circa Symbolum, decalogum, & orationem Dominicam, ad jussa, ac petitionem Navarrae Regis ex sacris literis, ac genuinis earum Interpretibus collecta, atque adornata.* De hoc Catechismo Facultas ita pronuntiat: *Hic liber toti Christianismo maxime perniciosus censetur, tum quod variis scateat, atque respergatur propositionibus falsis, ac ledtores in errorem inducentibus, captiosis, scandalosis, a veroque sensu Scripturae prorsus alienis: tum vero alias hæresim spirantes, imo plane hæreticas contineat, quarum nonnullæ, ut omnibus planum fiat, sequenti pagina annotantur, merito itaque suppressendus est præfatus liber, nec impressioni committendus, ita ut inter librorum reprobatorum Catalogum recensendus sit.* Datum Parisiis apud sanctum Mathurinum in nostris Comitibus jurejurando coactis post sacrum de Spiritu sancto celebratum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo decima quinta Octobris.

Nunc ipsas quoque percipiamus propositiones, quæ a Facultate ex hoc libro damnantur.

„ I. Jesus Christus sedens ad dexteram sui Patris semetipsum offert  
 „ tanquam unicum, idque verissimum,  
 „ *Hist. Eccles. Tom. XL.* R „ atque

Sæcul. XVI., atque acceptissimum Sacrificium. II.  
 A. C. 1550. „ Ejus mors merito appellari potest ve-  
 „ ra animarum Medicina, omniumque  
 „ nostrorum vulnerum remedium, fo-  
 „ laque propitiatio pro peccatis nostris.  
 „ III. Illius sapientia, & justitia est per-  
 „ fecta, & integra, non autem alia da-  
 „ tur, quæ conducet ad gloriam.  
 „ IV. Ni tu Domine Deus meus, vo-  
 „ lueris meam nuditatem tua operiri  
 „ justitia, quæ sola est integra, perfe-  
 „ cta, satisfactoria, & meritoria &c.  
 „ V. Ergo hunc solum undique viva,  
 „ atque ardenti fide amplectamur, quin  
 „ aliorum divertamur. VI. Totum ex  
 „ Christo Domino abundanter haurire  
 „ debemus, quin ad alia nos conver-  
 „ tere necesse sit, alias non videremus  
 „ fidei oculo. VII. In ipso solo tota  
 „ est salus nostra, atque omnes illius  
 „ partes comprehenduntur, adeo ut il-  
 „ lam non alibi quærere debeamus,  
 „ nec invenire possimus. VIII. Gra-  
 „ tiæ dona Ecclesiæ data communican-  
 „ da sunt omnibus, ut demonstretur,  
 „ quod omnes iisdem donis, ac privile-  
 „ giis utantur. IX. Ecclesia est Societas,  
 „ in qua nonnisi Sancti, Electi, ac Filii  
 „ Dei reperiuntur. X. Nostra justitia  
 „ etsi sit perfecta legis obedientia, cum  
 „ id præstare teneamur, non potest di-  
 „ ci meritoria. XI. Lex Evangelica  
 „ non

„ non est sine charitate. XII. Lex a <sup>Sæcul XVI</sup> Deo data Moysi non modo est diffici- <sup>A.C. 1550.</sup>  
 „ lis, sed etiam observari, atque ad-  
 „ impleri nequit. XIII. Lex Dei non  
 „ solum est difficilis, sed nequidem pos-  
 „ sibilis homini, qui non est regenera-  
 „ tus. XIV. Lex Dei petit integram  
 „ omnium suorum mandatorum adim-  
 „ pletionem, adeo, ut, qui unum trans-  
 „ greditur, omnium reus sit. XV.  
 „ Oratio in veritate & fide fieri nequit,  
 „ si duntaxat juxta hominum doctrinam,  
 „ non autem secundum doctrinam, ac  
 „ Dei præceptum peragitur. XVI. Ho-  
 „ diedum non alia oratio magni habe-  
 „ tur, nisi in qua labiis muslitatur,  
 „ absque attentione, ac sine gustu, &  
 „ non raro, quin ea, quæ proferuntur,  
 „ intelligantur. XVII. Non legimus in  
 „ Veteri Testamento, quod hac ratio-  
 „ ne preces fuerint peractæ, aut  
 „ quod quisquam Deum in nomine Pa-  
 „ tris invocaverit. XVIII. Vult Deus,  
 „ ut omnem superstitionem, & idolo-  
 „ latriam excludas, ac duntaxat co-  
 „ ram eo genua curves. XIX. Uti-  
 „ nam hæc monita sequerentur omnes,  
 „ ut tot infanæ fiducia tollantur, nec  
 „ etiam Dei justitia ignoretur, dum no-  
 „ stra stabiliri intenditur, certumque  
 „ pro incerto relinquitur, quod sane  
 „ non sufficit. XX. Hi, qui Evange-  
 „ lium

Sæc. XVI. „ lium contemnunt, cuius unicus sco-  
 A C. 1550. „ pus est fides in Christum, & vita æter-  
 „ na, quæ illius est fructus, hi, inquam,  
 „ subrogant hominum ad inventiones  
 „ & doctrinas, quæ animum ad crea-  
 „ turas convertunt, ac plurimum a re-  
 „ cto affectu avertunt. XXI. Nisi finis  
 „ electi, vocati, atque justificati, non  
 „ possumus obedire voluntati divinæ.  
 „ XXII. Per fidem vivam possumus,  
 „ ac debemus esse persuasi, ac penitus  
 „ certi, quod nihil nobis deesse valeat,  
 „ nec Deus quicquam nobis denegare  
 „ possit. „

## §. LXV.

*Nova præcepta a Calvino Genevæ  
stabilita.*

*Theod. Beza* Interea hæresis in variis Provinciis al-  
*in vit. Calv.* tiores egerat radices, seque latius  
*hoc ann.* diffundebat; quippe Calvinus Genevæ  
 a nemine præpeditus hoc anno præce-  
 pit, ut Ministri non modo in publicis  
 suis sermonibus, qui non solum ab au-  
 ditoribus, sed ab ipsis etiam Præconi-  
 bus plurimum fuerant neglecti, sed  
 etiam in privatis ædibus, ac familiis po-  
 pulum statis anni temporibus novâ hæc  
 doctrina imbuerent, ac domos accede-  
 rent, quodam urbis Tribuno eos comi-  
 tante, ut eo opportunius a quolibet ex-  
 actam

actam suæ doctrinæ, ac fidei rationem haurire possent. Præterea statuit, ut præter dies dominicos totius anni, nec non Nativitatis Dominicæ festivitatem nulli alii dies festi celebrarentur: ast id non paucis tantæ fuit offensio- nis, ut non deessent quamplurimi, qui ad invidiam Calvino accersendam divulga- rent, quod etiam dies Dominicos abo- lere intenderit: alii vero querebantur, quod hoc statutum condidisset ex proprio arbitrio, ac minime convocato cetero- rum Ministrorum confessu. Verum Cal- vinus de hac objurgatione parum an- xius, rem acrius urgere destitit; cum enim ejus auctoritas Genevæ ceteris omnibus præstaret, facile ejus senten- tia prævaluit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

§. LXVI.

*Altercatio inter ipsos Lutheri Secta-  
tores circa bona opera*

Hoc anno inter Lutheri asseclas re-  
crüduere diffidia circa necessitatem  
bonorum operum. Hisce diffidiis ansam  
præbuit Caroli V. Decretum *Interim* di-  
ctum, quod juxta Orthodoxæ fidei doctri-  
nam statuit, quod piæ actiones ad salu-  
tem sint necessariæ. Præprimis Georgius  
Major natione Germanus, ac Protestan-  
tium Minister, qui die vigesima quinta

*Burchol. in  
indic. chrono.  
Melchior A-  
dam in vit.  
Theo. Germ.  
Spond. ad  
ann. 1551.*

R 3 Aprilis

Sæcul. XVI. Aprilis Anno Christi millesimo quin-  
A.C. 1550 gentesimo vigesimo Norimbergæ in lu-  
 cem editus fuit, contra Nicolaum Ambs-  
 dorffium, ejusque discipulos, qui rigi-  
 diores Confessionistæ appellabantur,  
 propugnabat, pia opera, ita ad salutem  
 esse necessaria, ut absque illis nequidem  
 infantes justificari possent. Hujus Mi-  
 nistri fautores vulgo vocabantur Major-  
 ristæ. Porro ex adverso Nicolai Ambs-  
 dorffii Sectatores, qui a Magistri sui no-  
 mine Ambsdorffiani nuncupabantur,  
 contendebant, hæc opera non modo in-  
 utilia, sed etiam saluti noxia esse: at pro-  
 gressu temporis quidam suæ sectæ Di-  
 scipuli hanc doctrinam sacris literis adeo  
 adversam rursus damnabant.

## §. LXVII.

*Francisci Stancarii dogmata.*

*Spond. l. c.* **A**lios quosdam errores quidam nomi-  
*n. 22.* ne Franciscus Stancarius in Polo-  
*Florim.* nia diffundebat: hic enim patria  
*Ræm. de* Mantuanus, atque ob hæresin ex Italia  
*orig. hæresi* pulsus, cum in Germania tuto subsiste-  
*l. 2. c. 14. n. 6* re haud posset, in Poloniam secessit,  
*Stanisl. Ori-* ubi in Cracoviensi Collegio Hebraicum  
*chov. in chi-* idioma tradere permittebatur; cum vero  
*mæra fol. 4.* in explanandis sacræ scripturæ textibus  
*Et 33.* Protestantium errores spargere detege-  
 retur;

retur; mox ad Cracoviensem Episco-  
 pum delatus carceri mancipabatur: in-  
 de vero quorundam Procerum patroci-  
 nio liberatus in ædes cujusdam nomine  
 Oleniski recipiebatur, ibidemque abo-  
 lito Religionis Catholicæ cultu Prote-  
 stantium commenta invexit, moxque  
 Oleniskius sicutiæ hujus Reformationis  
 Ecclesiam Pinczoviæ Anno millesimo  
 quingentesimo quinquagesimo condidit,  
 Stancarius vero ibidem Gymnasium  
 erexit, in quo Lutheri, ejusque  
 Sectatorum dogmata tradidit. Evo-  
 luto aliquot temporis spatio in Pruf-  
 siam missus per integrum annum lin-  
 guæ hebraicæ in Academia Regio-  
 montana Professor, ingentes tum ha-  
 buit cum Osiandro altercationes circa  
 modum, quo Christus Dominus noster  
 Mediator dici queat: Osiander enim  
 propugnabat, quod Christus Dominus  
 secundum Dei naturam sit Mediator,  
 Stancarius vero contendebat, *Christum  
 esse Mediatorem duntaxat secundum natu-  
 ram humanam, ita, ut divinum supposi-  
 tum nullo modo requiratur*, quo dogmate  
 Arii, Macedonii, Nestorii, & Aerii hæ-  
 reses resuscitabat, nec tamen a novis  
 hæreticis quicquam mutuare dedigna-  
 batur; quippe, cum Calvinus Media-  
 torem suo Patre esse inferiorem dice-  
 ret, ipse Christi humanitatem vindica-

Sæc. XVI.

A C. 1550.

bat: insuper cum Luthero panem in  
 Cœna admittebat, corpusque adesse reji-  
 ciens cum Zwinglio non nisi signa adstrue-  
 bat: brevi tamen spurii Poloniæ Refor-  
 matores circa articulum de Christo Do-  
 mino Mediatore nostro in diversas scin-  
 debantur sectas; nam Synodi contra  
 Stancarii opinionem infurgebant, plu-  
 res econtra Stancario, quamdiu vita  
 superstes erat, adhærebant, eo autem  
 defuncto Arianæ hæresi nomen dabant.  
 Hic idem Hæreticus varia tam critica,  
 quam Polemica edidit opuscula, in quibus  
 pleno ore calumnias, ac convitia effun-  
 debat in Lutheri, & Calvini Sectatores,  
 qui eidem adversabantur: Porro ipsum  
 quoque impugnabat Stanislaus Oricho-  
 vius edito hanc in rem libro, cui titu-  
 lus: *Chimæra*.

## §. LXVIII.

*Osiandri errores in Prussia disse-  
minati.*

*Burn comm*  
*l. 22 p. 807.*  
*Spond. ad*  
*ann. 1549.*  
*n. 10.*  
*Melchior*  
*Adam l. c.*

Pariter hoc anno nominatus Andreas  
 Osiander Germanus Protestantium  
 Minister suos errores in Prussia divulga-  
 re cœperat. Is natus erat in Bavaria  
 die decima nona Decembris Anno Chri-  
 sti millesimo quadringentesimo nonage-  
 simo octavo: cum autem nomen fami-  
 liæ, ac Patris sui, qui *Hofenänderle* vo-  
 caba-

calatur, ridiculum ei videretur, hinc <sup>Sæcul. XVI.</sup> illud mutavit in *Osiandri* nomen. <sup>A.C. 1550.</sup> Grandior factus linguis, ac Theologiæ primo Wittembergæ, & postea Norimbergæ operam dedit, primusque fuit, qui Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo vigesimo secundo Lutheri doctrinam sermonibus suis divulgabat. De cetero vir erat ex primævo naturæ vitio turbulentus, fastidiosus, ac nonnisi ad verborum contentiones, mordacesque verbofitates natus, unde ipsemet Lutherus furiosos ipsius impetus, ex quibus non raro funesta sequebantur diffidia, tolerare haud poterat. Post hæc propter Cæsareum *Interim* Norimberga excedere coactus in Prussiam venit, ubi Alberti Ducis benevolentiam aucupatus in Regiomontana Academia Professor, atque adulterini Evangelii Præco nominatus est. His dignitatibus auctus suam hæresin circa justificationem evomere cæpit, novamque excogitavit doctrinam, qua sibi et ipsi plurimos accersivit adversarios, ac pertinacium, graviumque altercationum ansam præbuit; fuit autem præcipuus illius error, per quem sub añum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum tradidit, *hominem justificari non fide, sed eadem justitia, qua Deus justus est, & quæ ipse est Deus, infunditurque ita hominibus, ut non*

R 5

fit

Sæcul. XVI. *fit Christianus gratia justus, sed natura.*  
 A.C. 1550

Suam doctrinam Lutheri opinione fulciri propugnabat, huncque Hæresiarcham ejusdem cum ipso sententiæ fuisse afferebat. Totus denique in eo erat, ut Wittembergenses Theologos lacefferet, hinc illos provocabat, ut ejus propositiones convellerent, si tamen possent: præterea jactitabat, quod sua dogmata contra quoscunque, qui ei adversari auderent, propugnare paratus esset, præcipue vero Melanchtonem alias Virum pacis amantissimum graviter traducebat.

§. LXIX.

*Osiandri Disputationes contra Lutheranos Theologos.*

*Sleid. l. 22.  
 Thu. hist.  
 l. 11.*

Verum haud segnius Lutherani Theologi Osiandrum oppugnabant, ostendentes, ea, quæ de Luthero dixisset, falsa esse, eoquod hic hæresiarcha paucis ante mortem suam Mensibus de Philippi Melanchtonis libro, in quo sacrae scripturæ loci communes pertractantur, fat præclarum, amplumque reliquisset testimonium, ejusque doctrinam approbasset, ut proin, si Osiander Melanchtoni adversaretur, pariter diversa a Luthero sentire convinceretur. Post hæc eidem objectabant, Lutherum plane contraria iis, quæ

quæ ipsi obtrudit, tradidisse, Osiandri-  
que doctrinam esse perniciosam, eo-  
quod affirmet, in Christi sanguine, at-  
que morte non consistere justitiam fidei,  
qua redempti sumus, atque justificati.  
Id ipsum quoque, quin animadverteret,  
quondam profitebatur, cum in suis fa-  
miliaribus colloquiis cum amicis suis  
in Lutheri, ac Melanchtonis Theologos  
insurgens, eos tanquam Aristoteli-  
cos potius carnales, quam spirituales  
traduceret. Verum Osiander in dispu-  
tationibus nunquam cedere assuetus a-  
maro insuper calamo, multisque inju-  
riis adversarios suos insectabatur. Hu-  
jus rei specimen exhibent ejus epistolæ  
ad Joachimum Merlinum, & Melanch-  
tonem, qui nihilominus de hoc Viro  
perhonorifice mentionem fecere, eum-  
que encomiis celebrarunt.

Equidem Albertus Princeps primo  
cunctas has altercationes componi, at-  
que utrinque rem silentio supprimi per-  
optabat: attamen ab Osiandro persua-  
sus in ejus sententiam abiit, præcepitque,  
ut cuncti illius adversarii ex suis ditio-  
nibus exularent. Hos inter præcipuus  
erat Joachimus Merlinus, qui emigra-  
re compellebatur, licet cives, ne tali  
Ministro privarentur, Principi suo sup-  
plicarent. Ceterum Osiander haud im-  
merito accusabatur, quod nullius esset

Reli-

Sæc. XVI.  
A.C 1550.

Calvin. ep. ad  
Melancht.  
ep. 146.

Sæcul XVI Religionis, sed pro more impiorum, atque Atheistarum sacratissimos quoque A. C. 1550. Divini Verbi textus in ludibrium detorqueret, prout eidem Calvinus objectabat in quadam epistola ad Melanctonem data. Hic idem quoque ipsum infimulabat, „ quod se vino delectari dixisset, atque in Prussia agens jactitasset, quod quemcunque ex Aulicis ad liberius bibendum provocare auderet. Ecce! insignem prorsus novæ Reformationis Heroem. His subjungit Calvinus: „ Quotiescunque Osiander in conviviiis vinum sat generosum esse compererat, illud deprædicans hæc ipsa verba, quæ Deus de semetipso pronuntiaverat, sibimetipso applicabat dicens: *Ego sum, qui sum*, necnon illa, *Ecce Filium Dei vivum*. Observandum quoque, quod Calvinus ipsemet interfuerit cuidam convivio, in quo Osiander hasce blasphemias evomuerat.

## §. LXX.

*Calvini, Melanctonis, aliorumque protestantium judicium de Osiandro.*

*Bossuet hist. Variat. l. 8. n. 13.* Nec benignius de Osiandro sentiebant ipsimet Lutheri Sectatores; hos inter Melancton, qui non raro hunc

hunc impium hæresiarcham, prout ipsi Calvinus objectat, immodicis laudibus extollebat, ad suos tamen amicos scribens illum de extrema ejus arrogantia, deliriis, aliisque vitiis, suarumque opinionum monitis redarguit. Porro cum Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus Osiandri sororem sibi junxisset, hic fanaticus in Angliæ Regno propterea firmum sibi præsidium pollicitus, eo migrare, ibidemque suos errores, ac commenta spargere constituit. Attamen non deerant, qui Anglis imo & ipsi Cranmero suggererent, rem esse periculis plenam, si ad Regnum accersere, imo duntaxat tolerare vellent ejusmodi Virum, qui Ecclesiam novis suis opinionibus sus, deque vertit. Cum ergo Osiander ab hoc Regno se exclusum iri intelligeret, sua deliria, hæresesque aliorum divulgare decrevit: igitur vix Prussiam ingrediebatur, cum illico regionemontanam Academiam ferventissimis diffidiis nova sua doctrina de justificatione turbaret, præcipue vero, postquam Principis Alberti Brandenburgici, qui supremus Prussiæ Magister adoptata reformatione uxorem duxerat, patrocínio tutum sese cerneret, mox omnibus viribus suam hæresin diffundebat, brevique totam Provinciam in varias Sectas discindebat: Verum Divinum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Sæcul. XVI. num Numen funestis hisce malis remedium opposuit; quippe Osiander die secunda Octobris Anno Salutis nostræ quingentesimo quinquagesimo secundo supra millesimum epileptico morbo correptus die decima septima ejusdem mensis anno ætatis suæ quinquagesimo quarto animam evomuit. Scripsit plurimam opera Theologica.

## §. LXXI.

*Augustani Conventus Decretum de Concilio.*

*Sleid. comm.* Interea alii in Germania excitabantur  
*l. 22. p. 807.* tumultus, quibus Carolus V. obicem  
*Thu. l. 8.* ponendo impar erat. Hic quidem uni-  
*p. 235.* ce Principes Protestantes, ut Synodum accederent, impellere intenderat, hancque ob rem, priusquam comitia Augustana solverentur, edictum promulgabat hujus tenoris: *Quia Religionis hoc tam grave dissidium, nulla ratione melius, quam per generale, pium, liberumque Concilium sedari potest: deinde, quia superiori in Conventu Concilio se submiserunt Ordines, in eoque permanent, fixum hoc erit, atque ratum, Et quod etiam ipse tum promisi, studio Et diligentia omni curabo, ut Ordine Et recte omnia fiant. Cum autem ad omnes Orbis Christiani Provincias Pontificium hoc diploma pertineat, equidem futurum arbitror,*

bitror, ut omnes Reges, atque dynastæ, sui Sæcul. XVI.  
 memores officii morem gerant, proque sua A.C. 1550.  
 virili parte tam pium opus adjuvent, quid-  
 quid etiam in eo me facere convenit, ut Ec-  
 clesiæ Advocatum & Conciliorum defen-  
 sorem decet, id præstabo: & quicumque ven-  
 turi sunt ad Concilium, siue Religionem mu-  
 tarint, siue non, iis, eorumque Legatis pub-  
 lica fide cavebo, ut ibi commorari, & quic-  
 quid ad eorum conscientie quietem pertinere  
 putabunt, in medium adducere, ac deinde  
 tuto ipsis domum redire comitatu publico li-  
 ceat: ad hæc, operam dabo, ut res tota,  
 pie & Christiane, semotis affectibus, juxta  
 sacram Scripturam & Patrum doctrinam  
 tractetur, & definiatur, ut tam politicus,  
 quam Ecclesiasticus ordo reformetur, sub-  
 latis erroribus, atque falsis dogmatibus. In-  
 tra fines Imperii, vel in propinquo saltem  
 permanere, & tueri Concilium cogito, ut  
 ad optatum finem decurrat, ejusque fructus  
 ad omnes perveniat, & sit inprimis Ger-  
 manicæ salutaris. Principes igitur omnes,  
 & Ordines, præcipue tamen Ecclesiasticos,  
 & eos, qui Religionem mutarunt, quique  
 conjuncti sunt Augustanæ Confessioni, de-  
 posco, & adhortor, ut Pontificium diplo-  
 ma secuti sese comparent, & instructi veni-  
 ant: ne post aut acceleratione nimia circum-  
 ventos, aut ad suæ causæ justam explica-  
 tionem non se fuisse querantur admissos.  
 Nam, ut dixi, fidem eis præstabo, & ut  
 quan-

Sæcul. XVI quantum satis est, audiantur, efficiam.  
 A.C. 1551. Cum autem ibidem pariter de Augustano Decreto, quod *Interim* vulgo appellatur, sermo inspergeretur, ac non pauci diversas adducerent rationes, ob quas illud acceptare prohibebantur, hinc Imperator totum hoc negotium ad suam sollicitudinem revocavit, ut opportune providere posset.

## §. LXXII.

*Finis Augustani Conventus.*

*Steidan. l. c.*  
*Thu. ut supr.* Quamvis Carolus Imperator Princeps esset rara sagacitate præditus, a Protestantibus tamen delusus videtur; cum enim Albertus Brandenburgicus, necnon Mauritius Dux, qui præcipua erant Protestantium capita, sibi plene Cæsaris pollicitatione satisfactum simularent, Cæsar eorum fidei sese committens copias conscribere, haud sollicitus fuisset, nec id re ipsa effectui dedisset, nisi nova ab eis injuria fuisset lacesitus; cum enim hi inter se statuissent, quod Cæsarem, nisi Landgravii libertatem alia via impetrare possent, ex insidiis obruere, eique bellum denuntiare velent, hinc Carolus se nil ultra proficere posse, nec quicquam timendum esse credens comitia dissolvere decrevit, postquam alio Decreto sanxerat: „ Ut  
 „ ad

„ ad Calendas Aprilis Norimbergæ con- Sæcul. XVI.  
 „ veniant Electorum, & sex reliquo- A.C. 1551.  
 „ rum Principum Legati, qui delibe-  
 „ rent, quemadmodum ea pecunia,  
 „ quæ ex ærario publico sumpta fuit  
 „ in bellum Magdeburgicum debeat ex-  
 „ pendi: quicquid hi statuerint, ratum  
 „ esse jubetur, non minus, quam si fre-  
 „ quentibus in Comitibus decretum esset:  
 „ & quoniam ad universæ Germaniæ,  
 „ & Imperii salutem, ac conservatio-  
 „ nem, bellum hoc pertinet, Magistra-  
 „ tui permittitur, ut suo quisque po-  
 „ pulo tributum hoc nomine imponat.  
 „ Deinde, si forte quis vel Imperii ci-  
 „ vis, vel externus auxilia Magdebur-  
 „ gicis ferat, sumptum quoque tunc  
 „ Cæsar pollicetur. „

Cum vero elapsa hyeme Mansfeldius Comes, necnon Heideckius Tribunus in Magdeburgensium opem copias conduxissent, insuper Cæsar decrevit: *Ut, si posthac in aliqua Germaniæ parte milites confluant, ut e vestigio vicini Principes, ac Ordines, consociatis viribus illos opprimant, primumque illud rebellionis incendium, priusquam vires accipiat, resinguant.*

Promulgatis omnibus hisce Decretis Cæsar die decima tertia Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo comitia dissolvit.

*Hist. Eccles. Tom. XL.* S Nihil

Sæcul. XVI. Nihilominus Imperator aliquamdiu  
A.C. 1551. Augustæ subsistens, jurisdictionem,  
 & bona Ecclesiastica, quæ prioribus  
 bellis usurpata, vel direpta fuere,  
 se curaturum spondit, ut cui-  
 bet jus suum dicatur, illatæque in-  
 juriae reparentur. Sub idem ferme  
 tempus Cæsar per Comitem Diecium  
 adversus captum Hassiæ Landgravium  
 contumaciæ convictum sententiam pro-  
 nuntiabat: equidem Landgravius in suam  
 defensionem opponebat, sibi non fuisse  
 integrum ad Cæsaris postulata respon-  
 dere, eo quod cum suis Consiliariis libe-  
 ra colloquendi facultas ei defuisset; nec  
 id tamen erat abs re; cum enim jam  
 anno priori detectum fuisset, quod fu-  
 gæ consilia machinatus esset, hinc ar-  
 ctiori detinebatur custodia, unde nec  
 suos adire, nec illis colloqui permitte-  
 batur, quin illius custodes ejus verba  
 auscultarent, cunctasque actiones ob-  
 servarent. Nunc vero percipiamus mo-  
 limina, quorum ope Landgravius se in  
 libertatem asserere satagebat.

## §. LXXIII.

*Landgravius infausto successu affu-  
 gere molitus.*

*Sleid. l. 22.* Cum Landgravius naturæ bene-  
 p. 795. ficio liberalis splendido semper con-  
 vivio

vivio cunctos illum invisentes excipere Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
 affuetus esset, hac sua generositate magis, magisque Tribuni, cujus custodiæ committebatur, benevolentiam sibi conciliabat, indeque contra Cæsaris mandata majori fruebatur libertate, usque adeo, ut hic idem custodiæ Præfectus Landgravio declararet, se tam generosi captivi liberalitate adeo captum esse, ut de ejus liberatione unice sollicitus foret: quapropter Landgravius uni ex Nepotibus suis, qui illum visum venerant, fugæ consilium manifestat, idque præfatus Nepos fidelioribus Patru sui amicis patefecit, præcipue vero Conrado Bredesteno & Joanni Rommelio, qui per plures leucas Cassellam usque veredariis equis provide dispositis validas, quæ fugientem comitarentur, copias ubique paratas tenebant. Verum per quemdam Landgravii famulum agitata consilia suo frustabantur successu; cum enim hic familiari sermone cuidam diceret, futurum, ut intra paucas horas ejus Dominus libertatem sit consecuturus, hujus rei fama ad custodiæ Præfectum in ipso prope fugæ momento, atque articulo fuit delata: unde suscitato tumultu duo ex Landgravii famulis fuerunt subito confossi, alii comprehensi, ac capite multati: ipse vero Landgravius in arctiorem custodiam abductus.

S 2

Cæsar,

Sæcul XVI Cæsar, postquam hæc per nuntium  
A. C 1551. compererat, captum asperius haberi  
 præcepit, necnon de tam audaci faci-  
 nore apud ambos Electores Brandebur-  
 gicum, & Saxonicum graviter questus  
 est: unde & hi aliis intenti erant con-  
 siliis.

## §. LXXIV.

*Philippus Cæsaris Filius in Hispaniam  
 profectus.*

*Heiss. hist. de l'Emp. t. 1. l. 1. p. 178.*  
*Belcar. com. l. 25. n. 24. § 31.*  
*Thu. l. 8. p. 236. § l. 7.*  
*Mem. hist. & Pol. comm. de la Maison. d'Autriche t. 1. p. 313.*

Exeunte Mense Majo Philippus Caroli  
 Cæsaris Filius, qui hucusque Au-  
 gustanis comitiis interfuit, Italiam ver-  
 sus itineri sese accinxit in Hispaniam  
 reversurus. Comitabatur illum Maxi-  
 milianus ejus Patruelis Ferdinandi Fi-  
 lius, qui Mariam conjugem suam jam  
 duarum prolium Matrem invisere, eam-  
 que secum in Germaniam abducere de-  
 creverat. Erat tum quorundam opinio,  
 quod Imperator filium suum eo fine Au-  
 gustam evocasset, ut illum in Romano-  
 rum Regem proclamari procuraret, ne  
 vero sua spe frustraretur, Carolus Fer-  
 dinando Fratri suo exposuit, quod cum  
 ipso imperialis coronæ sollicitudinem  
 dignitatemque ita partiri velit, ut am-  
 bo communi jure Imperii habenas mo-  
 derarentur, prout olim præter plures  
 alios Marcus Aurelius, & Lucius Ve-  
 rus cum æquali potestate summæ rerum  
 præ-

præerant. Hac ratione Imperator S. <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 R. I. Electorum consensum, necnon <sup>A.C. 1551.</sup>  
 summi Pontificis confirmationem se  
 haud ægre obtenturum sperabat, ea le-  
 ge, ut Philippus in Romanorum Re-  
 gem eligeretur. Haud ingrata accidit  
 Ferdinando prima ex hisce propositio-  
 nibus: paratus enim erat, suos quoque  
 humeros ad Imperii onus cum fratre suo  
 portandum supponere: altera autem pro-  
 positio eidem displicuit, quamvis ejus  
 soror Hungariæ Regina, quæ Philippo  
 in Romanorum Regem eligendo impen-  
 se favebat, illum summis precibus ur-  
 geret, hancque in rem ad Augustana  
 Comitiam, quibus jamjam Philippus in-  
 tererat, accederet, atque unacum fra-  
 tribus suis juvenis hujus Principis ele-  
 ctionem promovere nitebatur: re autem  
 comperta confestim Maximilianus, qui  
 ad futuram Imperii spem adoleverat,  
 ipse quoque omni festinatione Augu-  
 stam contendit, ibidemque tanta dex-  
 teritate Romanorum Regem, necnon  
 S. R. I. Electores ad sua pertraxit stu-  
 dia, ut Carolus illorum consensum ob-  
 tinere desperans, suaque spe dejectus  
 filium suum in Hispaniam remitteret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXXV.

*Dragutes apud Solimanum de Cæsare  
questus.*

*Vide  
§. XVII.*

Postquam anno priori Cæsaris exercitus Africanam Tunetani Regni urbem victricibus armis subegerat, Dragutes percelebris Pirata hujus civitatis jacturam iniquissimo ferens animo, tantam inde concepit indignationem, ut hac de re graviter coram Solimano quereretur. Hic ad Dragutis preces mox misso ad Cæsarem Legato Africanam urbem restitui postulat, cui tamen Carolus V. hæc respondit: Tunetanum Regnum, a quo hæc urbs dependet, Castellano Imperio obnoxium est; juxta hæc igitur jura mei Belliduces haud amplius quicquam attemptarunt, quam quivis supremus Princeps, cujuscunque demum sit Religionis, contra Piratam Deo, & hominibus infensum moliri tenetur; quapropter & ego, salvis tamen induciis cum Solimano initis, hunc Piratam, quocunque auffugiet, insequi, ac infestare decrevi.

§. LXXVI.

*Turcarum Consilium de invadenda  
Melitensi Insula.*

Hoc Cæsaris responso Sultanus magis magisque ira concitatus, Carolum stupen-

stupendo quodam facinore ad obsequium redigere statuit. Ergo Draguti præcipit, ut omnes, quicumque sub ejus vexillis mare obsident, Piratas convocaret, eosque paratos teneret, ut sese Ottomanicæ classis conjungere possent. Sancitum quippe erat in Senatu bellico, ut præprimis Melitensis Insula subigeretur, eaque in Africanæ urbis compensationem Draguti cederetur. Hanc in rem Solimanus verno tempore Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi primi Sinanum suum classis Præfectum, quem Turcæ *Bassam* vocant, unacum septuaginta triremibus valide instructis, necnon cum aliis quadraginta grandioribus navigiis Melitam versus procurrere jussit. Hic trajecto Coryrensi sinu hujus maris oram legens die decima sexta Julii Melitam venit: verum eodem temporis articulo hujus expeditionis difficultatem probe perspexerat, nihilominus, cum Dragutis consilia sequi jussus esset, eo hortante suas copias exscendere, bellicque tormenta in terram exponere præcepit. Hoc facto totus exercitus sese per totam quaquaversus regionem extendit, ac nemine obsistente propius urbi accessit. Accepto adventus hostilis nuntio terror, ac trepidatio ubique sese diffundebat, eoque magis augebatur, quo pertinacius

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
*Vertos. hist. de Malte l. II. p. 247. tom. 3. Thu. l. 7. p. 228.*

Sæcul. XVI. supremus Ordinis Magister rem in tuto  
A.C. 1551. positam sibi esse persuadebat, palam-  
 que ad erigendos civium timore per-  
 culsorum animos spargebat, quod Tur-  
 cæ nil hostile adversus eos molirentur,  
 sed duntaxat navium suarum cursum  
 meridiem versus deflexerint, ut simulato  
 Melitensi itinere eo citius in Provinciam  
 pervenire possent.

## §. LXXVII.

*Hujus Insulæ devastatio, ejusque  
 obsidio.*

**A**ttamen Turcæ Melitensem Insulam  
 ingressi per omnes vicos hostilia cir-  
 cumferebant arma, cunctaque ferro  
 flammaque devastabant. Paulo post to-  
 to exercitu ad ipsam urbem penetrante  
 obsidionales fossas aperiunt, necnon ag-  
 geres locandis belli tormentis aptos eri-  
 gere incipiunt. Ex adverso urbis Gu-  
 bernator hostium conatibus toto studio  
 obsistit, sæpiusque cum suis in hostes  
 erumpit, exiguo licet armorum suc-  
 cessu; eoquod ipsi deessent præsidarii  
 ad militaris disciplinæ leges compositi,  
 cum Ordinis Magister periculi haud in-  
 fcus, nec semetipsum valido præsidio  
 destituere, nec suorum numerum aliis  
 in hujus urbis opem transmissis dimi-  
 nuere vellet: hinc duntaxat cum sex  
 Equi-

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Equitibus Gallis Villegagnonem Commendatorem, ut vocant, eo decernebat. Erat tum supremus Melitensis Ordinis Princeps Joannes Omedes, qui sane nomen suum haud celebre reddidit. Porro Villegagnon, quamprimum advenerat, cum ingenti omnium lætitia excipiebatur, & generosum hoc, quo sese intra urbis suæ mœnia includere statuit, propositum meritis celebrabant laudibus non modo senes, sed & fœminæ, atque infantes, cunctique incolæ illius ingressum solemni scloporum explosione honorabant, denique tantopere omnium crescebat ardor, perinde acsi solo hoc Viro urbs copiis, armis, atque annonâ abunde munita fuisset, quamvis incolæ ab hoc Commendatore, qui duntaxat sex Equitibus stipatus accesserat, exiguam prorsus opem sensissent, dummodo Turcæ a cæpto obsidionis proposito non destitissent, sed toto impetu urbem quaterere continuassent.

§. LXXVIII.

*Turcarum Bellidux soluta Melitensi  
obsidione profugus.*

Verum Sinan Bellidux, postquam Turcæ in quadam Sicula navi, quam ceperant, quasdam interceperant literas, ingenti turbabatur sollicitudine.

S 5

Erat

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Erat autem hæc epistola ab Ordinis Quæstore, qui Messinæ agebat, ad supremum Magistrum scripta, in qua idem hæc significabat: „hanc navem eo fine „excurrere jussi, ut tibi notum fieret, „quod Andreas ab Auria Cæsareæ clas- „sis Archithalassus, atque infidelium ter- „ror ex Hispaniis redux in Messanensi „portu hæreat, omnique, qua valuit, „celeritate missis ad omnes Insulæ por- „tus nuntiis præceperit, ut omnes tri- „remes ac navigia, quotquot Altum te- „nere poterunt, necessario milite instru- „ctæ revocarentur, nullaque mora ho- „stem impugnaturæ, eumque ad solven- „dam obsidionem compulsuræ excurre- „rent. Hæc notitia, quamvis esset con- „ficta, atque a quæstore ultro ad inventa, suo tamen haud caruit successu; quippe Sinan hoc nuntio perterritus, convocato belli Senatu sese recipiendi, atque Auricæ suppetias effugiendi necessitatem tam validis persuadebat argumentis, ut Senatus ad hujus Belliducis sententiam decerneret, quod relicta Meliteni obsidione omne armorum robur in Tripolitanam urbem utpote minus munitam esset convertendum, præcipue cum illius occupandæ certa affulgeret spes: igitur ceteris omnibus hoc consilium approbantibus Turcæ Melitensem Insulam obsidione liberantes sua  
con-

conscendunt navigia; priusquam vero Tripolin contenderent, occuparunt Gozam Insulam, quæ quarto a Melitensi Insula milliari distans circiter viginti quatuor milliaria ambitu suo, ac tria longitudine complectitur. Illius Gubernator erat Galatianus Suffanus, qui tamen de tuenda urbe adeo non sollicitus erat, ut etiam sese occultaret: Ceterum urbe expugnata sex millia trecenti in captivitate fuere abstracti: Gubernator vero omnibus bonis exutus ad remos damnatus est: quinimo ipsemet Melitensium Ordo capitale iudicium in illum ferri voluit: obstitit tamen supremus Equitum Magister, qui ad tegendam tam infausi successus infamiam in vulgus propagavit, quod Gubernator tormenti ictu percussus obierit, eo autem adhuc vivente urbs strenue fuerit propugnata, & hujus Belliducis morte incolæ nimium perterriti ad tuendam propriam vitam, suarumque conjugum, ac filiarum pudicitiam deditioem fecerint, cujus tamen pacta Turcarum Præfectus postea aperte violaverat.

## §. LXXIX.

*Tripolis a Sinano Belliduce obsessa.*

Capta Goza Insula Sinanus illius arcem solo æquari iussit, ac sui furoris,

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

ris, ac crudelitatis inhumanæ vestigiis, ubique relictis Tripolin amplissimam Barbariæ urbem, hujusque Regni Metropolim cingere statuit. Hæc civitas a Carolo V. Melitenfibus Equitibus dono data a Governatore Casparo Valerio Ordinis Equestris Marefcallo propugnabatur: eam vero Turcæ exscensione facta, dispositisque triginta sex majoribus belli tormentis quateræ cæperunt. Recensebat Governator ex suis præfidiariis nonnisi ducentos Calebres recens militiæ adscriptos, artisque bellicæ penitus inexpertos præter totidem Mauros, qui Equitibus foedere juncti præclara Christianis obsequia præstiterunt. Hisce tam infirmis militum suppetiis instructa Tripolis oppugnantium impetus sustinendo, ac præprimis tam potenti exercitui plurimis belli tormentis instructo diu resistendo impar erat, nihilominus Governator tam provide cunctis rebus prospexerat, ut longo admodum tempore Sinani insultus elusisset, nisi iniquissimo prorsus fato perfidia cujusdam transfugæ Cavalionensis ex Comitatu Viscantino accessisset; hic enim Sinano quemdam urbis locum minus munitum monstrabat, ibidemque impressionem esse faciendam hortabatur. Erat hæc loci opportunitas prope aggerem sanctæ Barbaræ, cujus structura  
cæmen-

cæmento per temporis iniquitatem de-  
 cidente penitus dissoluta extitit.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1551.

§. LXXX.

*Tripolis unacum Gubernatore capta.*

Ne vero malorum cumulo quicquam  
 deesset, insuper inter ipsos Belli-  
 duces intestina oriebatur dissensio, ip-  
 sæque copiæ ulterius ab eis imperia ac-  
 cipere recusabant, insuperhabitis etiam  
 severissimis comminationibus: unde fa-  
 ctum, ut Turcæ urbem, arcemque in  
 suam redigerent potestatem, ac Sina-  
 nus violata deditionis fide Gubernato-  
 rem comprehendi, eumque vinculis o-  
 nustum ad suam Triremem abstrahi ju-  
 beret: Gabriel vero Aramontius Hen-  
 rici II. Galliarum Regis apud Turcarum  
 Imperatorem Orator, qui Constantino-  
 polin profecturus Melitam prætervehe-  
 batur, atque a Sinano usque ad urbis ex-  
 pugnationem detinebatur, hujus Gu-  
 bernatoris, Valerii Equitis, aliorum-  
 que Gallorum avita nobilitate magis in-  
 signium libertatem obtinuit, ceteri au-  
 tem omnes tam Hispani, quam Itali  
 Cæsaris subditi in vinculis relinqueban-  
 tur, exceptis ducentis, qui vel gravi  
 senio, vel extrema paupertate pressi  
 dimittebantur.

Hæc

Sæcul. XVI. Hæc igitur urbs die decima sexta  
A.C. 1551. Augusti capta Draguti fuit reddita, ut  
 illam *Sangiaci Begi* titulo possideret.  
 Postquam vero Aramontius pretio soluto plures Christianos in servitutum abstractos redemerat, ipse abeundi copia a Sinano obtenta Melitam reversus est, secumque Valerium Equitem catenis vincitum abducens die vigesima tertia Augusti vespere eo advenit: cum vero supremus Ordinis Magister amissæ Tripolis invidiam in se rejici pertimesceret, hinc Gallici Oratoris fidem suspectam reddere, urbisque jacturam tam in illum, quam in Governatorem conjicere statuit, atque suorum clientum nonnullis ad sua studia pertractis in Valerium capitis sententiam pronuntiare voluit. Vix Aramontius iter suum Constantinopolin versus profecturus Melita discesserat, cum illico Valerius Eques unacum tribus aliis præcipuis deditiois Auctoribus Fustero, Susa, & Errera fuerunt in custodiam dati, ac ex tribus diversis Nationibus totidem nominantur Deputati, qui inquisitionem facerent. Adjungitur quoque Assessor, seu Deputationis caput quidam laicus nomine Augustinus de Combe, qui, licet corruptæ fidei, atque ad quævis audenda venalis Judex esset, pœnas reis jure irrogandas decer-

cerneret. Adducuntur insuper testes Sæcul. XVI. A.C. 1551.  
 nonnisi scelerum infamia clari, atque atrocissimorum criminum maculis notissimi (\*), quorum ministerio hæc causa adeo abominabilis reddebatur, ut nemo unus hisce miseris patrocinari auderet.

§. LXXXI.

*Amiffæ Tripolis culpa ab Hispanis in Gallos rejecta.*

Solus Villegagnonius Ordinis Commendator horum innocentiam, quamvis illorum causam agere severo mandato fuisset prohibitus, vindicare aggrediebatur, tantaque animi constantia minus suum explebat, ut supremo Ordinis Magistro exprobraret, obstinata ejus pervicacia factum fuisse, quod subsidia ad tuendam Tripolitanam urbem necessaria a Valerio non fuerint submissa, obsessique omni auxilii spe destituti ad deditiois conditiones, nec tutas, nec honestas fuerint compulsi. Verum ejusmodi criminationibus minime absterrebatur Magister, sed amicis suis præcepit, ut ad suam quisque patriam transmissis literis divulgarent, quod supremus Magister ob Tripolin Turcis traditam in

Vertot hist. de Malt l. II. p. 308. & Suiv. Thul. 7. versus fin p. 233.

Vale-

(\*) Thuanus, quem solum Continuator allegat, nihil prorsus de iniquitate horum Judicium, ac testium recenset.

Sæcul. XVI. Valerium iudicii acta intentare voluerit: A. C. 1551. ast a potissimis Equitibus Gallis eo quod hi vererentur, ne facta perfidiæ confessione eorum Nationi infamiæ labe inureretur, prohibitus fuerit, hacque ex ratione Equites Galli sumptis armis ipsum Ordinis Magistrum in arce cinctum tenerent. Hujus rei fama tantam Gallis indignationem accersebat, ut hi passim ab omnibus tanquam rebelles traducerentur. Hisce literis fretus Magister, prior ipse iudicii acta restaurabat, atque Officii Procuratorem induxit, ut novi adducerentur testes. Verum Villegagnonus re comperta graviter questus est coram Deputatis, qui totum negotium rursus ad eundem Officii Procuratorem devolvebant, causati, quod suarum duntaxat partium esset testimonia audire, & quamvis ad excipiendos testes nonnisi octiduum concessissent, nihilominus jamjam plusquam sexaginta probatæ fidei Viri fuerint auditi, qui in accusatorum favorem testimonia protulerunt. His tamen insuperhabitis fuit decretum, quod Ordinis vestis, atque Crux reis adimeretur: unde supremi Magistri consilia plurimum turbabantur; hic enim in eos severius ferri iudicium peroptabat.

§. LXXXII.

## §. LXXXII.

Sæc. XVI.

A.C. 1551.

*Franciæ Rex datus ad Magistrum literis de hujus causæ veritate edoceri cupidus.*

Cum Judex hanc sententiam Omedi minus esse acceptam, brevi animadverteret, eandem immutare decreverat: eoquod vero Villegnanus eundem postea acrius objurgaret, suamque ei inconstantiam, ac animi levitatem exprobrans, illum tanquam omnium, quos terra sustinet, sceleratissimum traduceret, mox præfatus Judex invito etiam Ordinis Magistro sese muneri suo abdicabat, quæsito obtentu, quod sententia semel pronuntiata in eadem causa denuo judicium ferre haud posset. Hanc ob rationem Magister rem ad aliud tempus differre compellebatur, interim hucusque gesta in acta referri jubebat. Cum autem Equitibus Gallis Tripolitanæ urbis jactura imputaretur, ac præprimis Aramontius apud Ottomanos Franciæ Orator accusaretur, quod Vallerio ad hujus civitatis deditionem Auctor exstitisset, hinc Henricus II. Galliarum Rex hujus ignominiae famam edoctus, indeque graviter commotus suam gloriam, Nationisque honorem vehementer lædi

*Hist. Eccles. Tom. XL.*

T

existi-

Sæcul. XVI. existimabat, quapropter regii fatelitii  
 A. C. 1551. Nobilem nomine Belloium Melitam ab-  
 legabat, datisque ad supremum Ordinis Magistrum literis die trigesima Septembris hoc anno graviter de sparsis hisce rumoribus querebatur, eumque rogabat, ut certo, ac perspicue significaret, an Aramontius illius Orator culpæ, ipsi objectæ reus esset, eo sine, ut is, si convinceretur, juxta criminis sui enormitatem, debita pœna plecteretur, sin autem innocens foret, ex ipsius Magistri testimonio illius honor apud exteris Nationes reparari, ac vindicari posset. Hæc Regis epistola haud parum turbabat Magistri animum, unde responso aliquamdiu dilato, literas ad Senatum detulit, iis autem ibidem recitatis sancitum, Regi omnino rescribendum, atque Oratoris integritatem plurimum esse commendandam: Igitur Viro, qui Ordini ab Epistolis erat, datur negotium, ut quantocius hujus tenoris literas conficeret.

Verum Omedis consilia huc minime collimabant; ipse enim tam Oratori, quam Vallerio Equiti exitium parare decreverat, unde pœnitentia ductus, quod Regis epistolam unice ad se solum directam incautius suo reliquisset Senatui, responsum sibi tradi præcepit, causifatus, quod illius tenorem maturius

exa

examinare vellet. Interea vero, quo magis Villegagnoni unacum Franciæ Oratore profecturi discessus urgebat, eo studiosius ad illum fallendum moræ nece-  
 tebantur: hujus autem intervalli beneficio usus Magister Judicem ad profectu-  
 judicii acta pertrahebat, fide eide-  
 dem data, quod sua auctoritate facile  
 omnium adversariorum molimina ever-  
 surus esset, eumque tueri valeret, unde  
 si Vallerius crimen suum diffiteretur,  
 ipse eundem quæstioni subjiceret, hac-  
 que ratione ab eo extorqueret, ut se  
 Tripolin Turcarum potestati unice ex  
 Aramontii sollicitatione tradidisse fateretur.  
 Hujus itaque confessionis spes Magis-  
 trum induxit, ut Regi responsum dare  
 differret. Verum Villegagnonus adeo  
 detestandam conjurationem edoctus  
 Senatum adiit, verbisque tam vehementibus  
 palam Magistro exprobrabat, illum cum  
 iniquo Judice in id conspirasse, ut ab  
 innocente criminum, quæ tamen nunquam  
 perpetravit, confessionem tormentorum vi  
 eliceret, eumque postea morti adjudicaret.  
 Hac objurgatione Magister graviter commo-  
 tus, primo rem diffitebatur, sed Villegagnano  
 acrius instante, rubor toto vultu emicabat,  
 isque trepiditatis indicio pro reo habebatur:  
 quapropter Senatus hanc doli fabricam indignatus ali-

Sæc. XVI.  
 A.C. 1551.

Sæcul. XVI. um nominabat judicem, necnon Secre-  
 A.C. 1551. torum Ministro negotium dabat, ut  
 quantocius responsum verbis jam an-  
 tea præscriptis conceptum ad Galliarum  
 Regem transmitti curaret.

## §. LXXXIII.

*Francisci Oratoris innocentia per re-  
 sponsum ad Regem datum a  
 Magistro vindicata.*

*Thu. l. 7.  
 p. 224.  
 Daniel. hist.  
 de France vie  
 de Henri II.  
 t. 6. p. 27.*

Hæc Senatus jussa Ordinis scriba in scio  
 Magistro, cujus cliens erat, exe-  
 qui minime audebat: unde ambo juncta  
 opera responsum hoc clam novis artibus  
 depravarunt, pluresque voces, quæ  
 ex Senatus jussu omnino inferendæ fuif-  
 sent, ad alium sensum detorserunt, adeo,  
 ut Villegagnonus, dum ei hæc literæ  
 adeo corruptæ tradebantur, palam que-  
 reretur, ac Senatus Proceres cuncta  
 hæc artificia indignati ipsimet episto-  
 lam conficerent: nec magnus Ordinis  
 Magister recusare poterat, quo minus  
 illam suo quoque firmaret chirographo.  
 Data erat illa die decimo septimo No-  
 vembris his concepta verbis: „*Ad ea,  
 quæ Majestas vestra a nobis flagitat, quo  
 ejus desiderio & imperio, quantum in no-  
 bis est, satisfiat, respondemus, ac dicimus,  
 prima die Augusti Aramontium huc appu-  
 lisse*

lisse cum duabus triremibus, & minori tri-  
 reme; hic postquam a nobis pro merito con-  
 venienter exceptus, mandata sua exposuit,  
 nimirum ut Constantinopolim proficiscens in  
 itinere nos adiret, ac vestro nomine operam  
 suam prolixè nobis deferret. „ Tunc vero a  
 nobis rogatus est, ut Africam pertransiret,  
 & Tripolim diverteret, operamque daret,  
 ut Turcas ab obsidione illa, si forte nondum  
 cœpta esset, averteret; aut si jam arx ob-  
 sessa foret, Turcis, ut ab obsidione disce-  
 derent, omni ratione persuaderet. Onus ve-  
 ro in se libenti animo suscepit Aramontius,  
 eo cum celoce nostra profectus, sed cum ni-  
 bil impetrare ab obstinatis Turcis potuisset,  
 re infecta ad nos rediit, ac publice in con-  
 fessu Ordinis testatus est, quanto cum suo  
 dolore accidisset, ut Tripolis amissa esset,  
 quo in negotio nullum officium intermisisset,  
 ut Ordini ea in re nostro gratificaretur;  
 hoc enim a vestra Majestate enixe, ac religio-  
 se sibi injunctum fuisse testabatur. Præte-  
 rea ut quorum culpa ea clades accepta esset,  
 certo cunctis constaret, undique probatio-  
 nes collegimus, & inquisitione diligenti su-  
 per ea re habita, nihil comperimus, quo  
 Aramontium cladi causam dedisse, aut de-  
 ditionis auctorem fuisse credi debeat, quin-  
 imo ex Equitibus captivis, postquam ad  
 nos ipsius triremibus vecti rediere, didici-  
 mus eum non solum omni culpa vacare, sed  
 multis beneficiis totum Ordinem sibi devin-  
 xisse,

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

Sæcul. XVI. *xiffe*, ac proinde non recte, nec secundum  
 A.C. 1551. *rationem factum existimamus, ut is rumor*  
*sparsus sit*, contra honorem, ac Gallo-  
 rum existimationem. Hasce literas po-  
 stea Rex per Oratores suos publice in  
 omnium Principum oculis divulgari  
 præcepit, unde suppressis Cæsareorum  
 querelis ac rumoribus fama in Gallo-  
 rum invidiam sparsa conquievit.

## §. LXXXIV.

*Africa a Carolo V. relicta, ejusque*  
*jussu solo æquata.*

Funesto amissæ Tripolis nuntio Impe-  
 rator vehementer commotus hære-  
 bat: cum vero in Africa tam validum  
 teneret præsidium, ut ad hanc urbem  
 tuendam majores expensas, quam pro  
 tribus aliis Germaniæ urbibus facere  
 cogeretur, hinc continuo hoc dispendio  
 fatigatus Auriam jussit, ut non modo  
 hujus urbis mœnia, sed cunctas etiam  
 domos funditus everteret, indeque bel-  
 li tormenta, atque omnem armorum  
 apparatus transferret. Hoc mandato  
 non solum Judæi, sed etiam Christiani  
 Hispani, atque Lusitani enormiter de-  
 ludebantur; quippe tam hi, quam illi  
 hanc urbem Cæsaris imperio subditam  
 esse intelligentes ibidem suas figebant  
 fedes, spe freti, quod ob loci opportu-  
 nita-

nitatem ex mercatura amplas collectu- Sæc. XVI.  
A.C. 1551.  
 ri essent divitias: attamen hi miseri  
 præter expensas, quas transvehendis  
 rebus suis impendebant, insuper a mi-  
 litibus nullo militaris disciplinæ fræ-  
 no coercitis atrocius fuerunt expo-  
 liati, quam si ipsimet Cæsaris hostes ur-  
 bem vi occupassent (\*). Ceterum Im-  
 perator adhuc magis turbabatur bello,  
 quod Franciæ Regi brevi illaturus es-  
 set, eoquod hic Octavium Farnesium  
 ad hoc protegere pararet, ut Parmam  
 tueri, necnon Placentiam hucusque a  
 Carolo V. occupatam recuperare va-  
 leret.

§. LXXXV.

*Octavius Farnesius Placentiam sibi re-  
 stitui importune postulans.*

Interea Octavius Farnesius Castrensis Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. II c. II.  
§ 12.  
Thuan. l. 7.  
 Dux assiduis precibus Cæsarem sati-  
 gabat, ut ei Placentinam urbem redde-  
 ret: cum vero diu postulata impetran-  
 di spe frustraretur, tandem Carolus Im-  
 perator sollicitationum importunitate

T 4 ex-

(\*) De hac militum deprædatione nec  
 Thuanus, nec alius quispiam Scriptor quic-  
 quam recenset: ipse quoque Continuator nul-  
 lum illius testem allegat: unde sat aperte col-  
 ligi potest, huic relationi nullam fidem esse  
 adhibendam.

Sæcl. XVI  
A.C. 1551.

expugnatus ei concessit, ut Parmam redire posset, brevisque literas eidem oppido gratas recepturus esset. Farnesius hujus promissi amplitudine fretus Parmam reversus est: cum vero mox post adventum suum intelligeret, quod Ferdinandus Gonzaga Mediolani Gubernator Placentinæ urbis munimenta perficere tota virium contentione adlaboraret, inde conclusit, quod Imperator hanc ei urbem reddere haud vellet: postea vero cum ei nuntiaretur, quod Carolus copias conscriberet, haud temere suspicabatur, quod non modo Placentinam urbem haud recuperaturus esset, sed insuper ad Parmam ipsi eripiendam nova cuderentur consilia: unde anxii hisce curis agitatus summum Pontificem suppliciter adiit, eumque impense rogavit, ut adversus Cæsarem, ejusque Ministros ipsum protegere vellet, simulque serio perpenderet, quod amissa hac urbe, ipsa etiam Sedes Apostolica suo feudi jure in eandem exueretur, quo jam antea in Placentinam civitatem excidisset. Hujus negotii cura erat demandata Marco Antonio Venturo, qui per Legatum ad Pontificis alloquium admittus, eidem totum, quo Octavii res verfabantur, statum exposuit, addiditque, quod sui Principis nomine sese ad Sanctita-

ctitatis suæ pedes provolvi jussus, ejus <sup>Sæc XVI.</sup> opem contra injuriam suo Domino illa- <sup>A.C. 1551.</sup> tam impleret, ut hic validis auctus suppetiis hostis tantopere sibi infensi conatibus resistendo par esset, suumque adversarium, contra quem summo Sanctitatis suæ præsidio indiget, repellere valeret.

Equidem Pontifex rei mox expositæ haud ignarus erat, sibi que fatis persuasum habebat, quod proprii honoris necessitate ad hoc urgeretur, ut Octavium in hujus Ducatus possessione tueretur, cum hanc ditionem tanquam Ecclesiæ prædium declarans ipse Octavio inaugurationis diploma concessisset: nihilominus Pontifex se ære alieno esse gravatum maturius ponderabat, eo quod ingentes expensas, atque inito *Pallav. l. II. c. 12. n. 5.* Pontificatu plurimas, nulloque pacto evitandas profusiones facere compulsus fuisset, cum exhausto ærario bellum in Cæsarem movere haud posset: quapropter sublevatis humeris suæ voluntatis propensionem virium imbecillitate superari significabat, Legatoque hæc respondit: Octavius meliori, qua posset, ratione sibi consulat; ego autem præter ea, quæ hucusque hac in re feci, ampliora præstare haud valeo, nec ea exigui fuisse momenti Octavius facile perspicere poterit, ceterum majora ei

Sæcul XVI obsequia exhibere paratus sum, quam-  
A C. 1551. primum & temporis, & rerum vicissitu-  
 dines magis propitiæ arridebunt: Cum  
 autem hoc responso res nondum decisa  
 esset, Farnesius Cardinalis rursus Pa-  
 pam adiit, supplex, ut Octavio ejus fra-  
 tri saltem concederet, quatenus aliorum  
 Principum magis potentum opem im-  
 plorare, eorumque patrocinio suffultus  
 causam suam urgere posset. Ad hæc  
 respondit Pontifex: „Octavius libe-  
 „re faciat, quod ipsi rebus suis magis  
 „commodum videbitur.

## §. LXXXVI.

*Octavii fœdus cum Galliarum Rege  
 pro conservanda Parmensi urbe.*

*Pallav. l. II.* **A**cepto hoc responso Octavius suaden-  
*c. 12. n. 3.* te Cardinale fratre suo, quosdam  
 ad Horatium Farnesium Nothum fra-  
 trem suum in Gallias decernebat. Hic  
 cum apud Henricum II. Fran-  
 ciæ Regem plurimum gratia valeret,  
 mox receptis fratris sui literis Regem  
 accessit, eumque petentium votis con-  
 cedere valde propensum expertus est;  
 Henricus enim non modo Farnesio ob-  
 sequium præstandi, sed etiam Cæsari,  
 cui infensus erat, molestiam creandi stu-  
 dio flagrabat. Ergo fœdus initur his  
 conditionibus: I. Rex mille quingentos  
 pedi-

pedites ductore Paulo Vitellio, necnon <sup>Sæcul XVI.</sup> <sup>A.C 1551.</sup>  
 ducentos levis armaturæ equites tan-  
 quam urbis præsidiarios suis expensis  
 alat. II. Singulis annis Octavio pen-  
 sionis nomine solvat octo aureorum mil-  
 lia. III. Ut damna Alexandro, & Ran-  
 nuntio Cardinalibus Octavii fratribus  
 ob hoc foedus fors inferenda reparen-  
 tur, Rex illis in Francia tam amplos  
 assignet proventus, ac pensiones, ut  
 ipsis inde plene satisfiat. IV. Rex nul-  
 lum foedus excluso Octavio cum Cæsa-  
 re ineat. V. Vicissim Octavius in-  
 vito Galliarum Rege in Cæsaris gratiam  
 minime redeat. Cunctis hisce pactis  
 solita adjiciebatur conditio, vi cujus  
 declaratum, quod hoc foedere nullate-  
 nus Pontificis, sacræque Sedis jura la-  
 befacturi censeantur. Hæc igitur pacta  
 nomine Regis a Lotharingio Cardinale,  
 Guisio Duce ejus fratre, Montmorentio  
 Connestabili, ac Marefcallo S. Andreæ:  
 pro Octavio autem ab Horatio Farne-  
 sio ejus fratre die vigesima nona Maji  
 Anno Domini millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo primo Ambasiæ fuerunt  
 suscripta.

§. LXXXVII.

*Pontificis conatus pro impediendo hoc  
 foedere.*

Cum autem foederis consilia summo <sup>Pall. ib n. 5.</sup>  
 Pon- <sup>Thuan. l. 8.</sup>

Sæcul. XVI. Pontifici subolerent, ut certio-  
A C. 1551. rem huius rei notitiam hauriret, ex Farnesio  
 Cardinale sciscitabatur, an sparsio rumo-  
 ri de societate cum Galliarum Rege per  
 eius fratrem inita veritas constaret?  
 Ad hæc ita reposuit Farnesius, hac de  
 re quædam consilia fuisse agitata haud  
 ignoro, foedus vero jamjam fuisse fir-  
 matum, certo affirmare haud possum.  
 Percepto hoc responso, confestim Papa  
 Petrum Camaianum Cubicularium su-  
 um Parmam ablegat, dato negotio, ut  
 Senas pertransiens Mendozam, Caroli  
 V. Legatum adiret. Sub idem tem-  
 pus Bertanum Fanensem Episcopum iti-  
 dem ad Imperatorem decernebat, eo  
 consilio, ut ambo foedus, si nondum  
 esset subscriptum, firmari prohiberent,  
 aut si forte haud aliud remedium super-  
 esset, saltem illius executionem præpe-  
 dirent: cum vero ob loci distantiam Pon-  
 tificis de Cæsaris voluntate tardius edo-  
 ceri potuisset, hinc Camaiano rem ita  
 disponere præcepit, ut, si armorum so-  
 cietas cum Galliarum Rege nondum sit  
 conclusa, Octavius fidem suam obstrin-  
 geret, quod nihil hac in re decidere ve-  
 lit, donec Pontificis responsum acce-  
 pisset. Hanc sibi demandatam Provin-  
 ciam Camaianus integra fide executus  
 Papam de tota rei serie accurate certio-  
 rem reddere studuit. Acceptis autem  
 ejus-

ejusdem literis Julius ad illum tria trans-  
 misit diplomata, ac quidem primum O-  
 ctavio inscriptum, quo exteras copias  
 in Parmensem ditionem evocare indi-  
 cta perduellionis, ac proscriptionis pœna  
 eidem inhibuit: alterum erat missum Pe-  
 tro Vitellio, cui præcipiebatur, ut Farne-  
 sio non obtemperante quantocius ab eo  
 recederet. Tertium denique Cardinali S.  
 Angeli erat tradendum, per quod is Ro-  
 mam revocabatur, ut supremi Pœnitenti-  
 arii munus exerceret. Verum hæc diplo-  
 mata vix non flocci habebantur.

§. LXXXVIII.

*Papa ad bellum Octavio inferendum ab  
 Atrebatensi Episcopo sollicitatus.*

Camarianus igitur de legationis suæ  
 successu parum lætus Romam re-  
 diit hæc Pontifici referens: Sanctitatis  
 suæ votis satisfacere, haud amplius in-  
 tegrum est Octavio; jam enim cum Gal-  
 liarum Rege foedus firmavit, hinc ro-  
 gat, ut hæc sua agendi ratio eidem  
 haud vitio vertatur, cum inconsulto  
 Pontifice nihil aggressus esset. Inte-  
 rea Fanensis Episcopus ad Cæsarem  
 delatus cum eodem de quodam recon-  
 ciliationis medio conferebat: Verum  
 Atrebatensis Episcopus tam opportu-  
 nam bellum fuscitandi occasionem arri-  
 piens

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

Thuan. 1. 5.

Pallav. 1. 11.

c. 13. n. 3.

Sæcul XVI  
A.C. 1551.

piens rem ita dirigere studuit, ut Pontificis animo a Galliarum Regis partibus alieno Octavius Parmensi urbe spoliaretur, prout id Cæsaris Ministri in Italia agentes peroptabant: Eapropter nomine Imperatoris omne auxilii genus promittens Pontifici ex Neapolis Regno ac Mediolanensi Ducatu auxiliares copias offerebat, si forte is bellum contra Octavium adornare vellet. Ergo Fanensis Episcopus pariter reverti cogebatur haud meliori, quam Camaianus, legationis suæ successu potitus: cum autem Romam rediret, Pontificem ob responsi a Parmensi Duce dati indignitatem ira accensum, atque ad arma inferenda propensum reperit. Accedebat insuper Joannes Baptista Montanus, qui prior belli consilia Pontifici suggerebat, atque, ut illum eo promptius ad executionem induceret, eidem injuriam, quam ipsi in hoc negotio inferri contendebat, repetitis vicibus exposuit, atque ad illum magis irritandum rem atris omnino coloribus depinxit. Itaque Julius hoc sermone exasperatus Henrico II., atque Octavio bellum nuntiare statuit, ut vero de prospero, quantum in humanis viribus positum est, successu eo certior esset, Hieronymum Dandinum ad Cæsarem decernit, ut de ejus voluntate edoceret, necnon de promissis auxiliis

xiliis certus fieret. Eidem quoque Dan-  
dino datum est negotium, ut hæc infu-  
per Imperatori exponeret, quod Ponti-  
fex iusta in Henricum II. & Octavium  
indignatione flagraret, eisque bellum  
inferre paratus sit, si Cæsari bene vi-  
sum fuerit: probe tamen considerari ro-  
gat, an non forte hoc bellum noceat  
Concilio, cum ad cunctas illius defini-  
tiones prospere perficiendas nil magis,  
quam omnium Principum concordia vi-  
deatur esse necessaria.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXXXIX.

*Cæsar belli a se conflatæ suspicionem  
amoliri intentus.*

Cum Imperator magis suorum Mini-  
strorum invidiæ, quam proprio com-  
modo satisfaciendi studio incitatus ar-  
ma parari permisisset, nunc Papam quo-  
que bellum percupere cernens pœniten-  
tia duci cæpit, eo quod prior ipse per  
Atrebatensem Antistitem primum a con-  
siliis intimis Ministrum belli flammas  
accendisset. Attamen cum datam fidem  
salvo honore suo revocare haud posset,  
Papæ exponi curabat: consultius foret,  
quod præprimis Octavio tanquam per-  
duelli Vasallo suo bellum indiceret, ac  
postea primum ad Cæsarem, tanquam  
ad Sedis Apostolicæ Protectorem con-  
fuge-

Thuan. l. 6.  
Sleid. comm.  
l. 21. p. 811.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

fugeret, atque auxilia ab eo imploraret; insuper Cæsar non modo supplicias ferre pollicebatur, sed etiam Parmam, si fors in ipsius potestatem veniret, finito bello Pontifici reddere, per scriptum proprio chirographo firmatum promittebat. Hac agendi ratione utebatur Imperator, ne pacem, quam Galliarum Rex se adhuc colere dicitabat, violasse videretur, omnemque de Parma sibi vendicanda suspicionem a se amoveret; itaque Pontifex hac promissione sibi abunde cautum ratus sese decipi sinebat, ad hoc bellum ipso etiam acrius impellente Joanne Baptista Montano Nepote suo, quem Papa Pontificii exercitus Ducem constituit, ac Bononiam ablegavit, Alexandro autem perditatum, ac denique Vincentio Nobili Sororis suæ Filio Equitatus curam commisit, dato etiam negotio, ut hic in Piceno agro ducentos levis armaturæ Equites conscriberet.

## §. XC.

*Gallorum copiarum in Parmensem urbem immissarum.*

Attamen Pontifex ad suscipiendum hoc bellum acrius incitabatur accepto nuntio, quod Galli jamjam Parmam occupassent, atque ab Octavio duo perditum

ditum millia, quæ ab ipso Rege aleren-  
 tur, ab eoque imperia acciperent, dex-  
 tre in urbem fuissent immissa. Ea res  
 Papam summo afficiebat dolore, eo-  
 quod a Duce non modo hac de re nul-  
 latenus certior fuisset factus, sed insu-  
 per haud immerito vereretur, ne Cæ-  
 sar de ipso suspicionem conciperet, quod  
 illum deciperet, ac clandestina cum O-  
 ctavio foveret consilia: cum vero sibi  
 par cum Clemente VII. fatum, atque  
 infortunium brevi imminere pertimesce-  
 ret, eoquod Cæsari illudere, datam-  
 que ei fidem violare crederetur, hinc  
 literas minis plenas ad Franciæ Regem,  
 atque Octavium perscribens eisdem ex-  
 probrat, quod Papa inconsulto ambo ur-  
 bem Sedis Apostolicæ Imperio obnoxiam  
 Gallorum præsidio munire attentassent:  
 quinimo ipsius indignatio eo processerat,  
 ut etiam Legatum suum, quem in Gal-  
 liis habebat, nulla mora e Regno ex-  
 cedere juberet, si Rex præsidium re-  
 vocare recusaret.

## §. XCI.

*Franciæ Regis, atque Octavii epi-  
 stolæ ad Papam.*

Attamen Galliarum Rex Pontifici hæc *Sleid. l. 22.*  
 respondit: „ Octavio ea, quæ a me *p. 811.*  
 „ efflagitavit, concessi, atque in hoc  
*Hist. Eccles. Tom. XL,* U „ me

Sæcul. XVI.,

A.C. 1551

me Sanctitati vestræ injuriam adeo non  
 fecisse arbitror, ut potius Ecclesiæ  
 obsequium præstitisse censeam; illis  
 enim suppetiis, quas Duci adduxe-  
 ram, Cæsaris Parmam eripere mo-  
 lientis consilia jamjam everti: nec  
 cum Octavio alias foederis conditio-  
 nes inivi, nisi ut ei præsidarios mi-  
 lites subministrarem, eosque ære meo  
 alerem, ut ipse urbem suam tueri,  
 sibi que vindicare posset, quocirca sat  
 mirum mihi accidit, quod a Sancti-  
 tate sua reprehensionem promeritus  
 videar, cum tamen potius gratiarum  
 actione honorari sperassem. His  
 insuper Rex in sua epistola addidit, sibi  
 ab Octavio Duce fidem fuisse datam,  
 quod ex obtenta Pontificis licentia ad  
 Gallorum auxilia confugisset.

Pariter Octavius Dux ad Julium Pa-  
 pam literas perscripsit hujus tenoris:  
 Implorato Galliarum Regis auxilio  
 tam alienus fui ab omni Sanctitatem  
 suam offendendi voluntate, ut econ-  
 tra rem eidem summopere gratam  
 me facturum existimaverim, eo quod  
 de Franciæ Regis præsidio mihi pro-  
 spiciens nil aliud intenderim, quam  
 urbem meam tueri adversus aperta  
 consilia, atque insidias, quas mihi  
 Cæsaris Ministri manifeste struebant.  
 Aliunde Sanctitas sua in memoriam

,,reæo.

„ revocet, quod inter arcta prehensus Sæcul. XVI.  
 „ ab illa opem petierim, nullum aliud A. C. 1551.  
 „ tamen tulerim responsum, nisi quod  
 „ nullum mihi auxilium ferre posset;  
 „ præterea cum rursus frater meus ve-  
 „ hementius instaret, ac sciscitaretur,  
 „ an Sanctitas sua haud indigne ferret,  
 „ si alterius cujusdam Principis opem  
 „ exorarem? Sanctitas vestra hæc re-  
 „ spondit: *Octavius meliori, qua pote-*  
 „ *rit ratione, sibi consulat.* Hac itaque  
 „ concessione usus me in Franciæ tute-  
 „ lam recepi, proin nullam reprehen-  
 „ sionem promereri videor; cuilibet e-  
 „ nim militi, si ei æs militare a suo  
 „ proprio Principe non numeratur, ab  
 „ eoque alterius Principis vexilla se-  
 „ quendi licentiam obtinuit, cujuscun-  
 „ que Domini signis sese adscribere in-  
 „ tegrum est. „ Hoc Ducis responsum  
 „ muniebant insuper rationes, quas Le-  
 „ gati, Farnesius, necnon Cardinales na-  
 „ tione Galli summo Pontifici propone-  
 „ bant. Verum Papa constanter perne-  
 „ gabat, quod vel unquam ejusmodi li-  
 „ centiam Duci dedisset (\*).

U 2

§. XCII,

(\*) Observandum venit, quod Continua-  
 tor Galliarum Regis epistolam, quam Sleida-  
 nus ab eo allegatus recitat, verbis longe aliis  
 huc retulerit, illam vero Octavii mere ex ce-  
 rebro

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

§. XCII.

*Galliarum Regis agendi ratio erga  
Papam.*

*Paul. Sarp.  
hist. Conc.  
Trid. l. 4.  
p. 195.  
Pallav. l. II  
c. 16. n. o.*

Verum Galliarum Rex ad acerbiora prolapsus confestim publico edicto omnibus Regni sui Episcopis, qui tum a suis Dioccesibus aberant, præcipit, ut

rebulo suo confarcinaverit: de Regis epistola Sleidanus hæc habet: *Rex demonstrat, quod Octavium in suam fidem accipiendo, nullam reprehensionem mereatur: nam hoc est proprie Regum, ut subveniant afflictis: deinde Rex nullum quæsitum privatim in ea re compendium, sed quicquid fecit, Ecclesiæ Romanæ causa facit majorum exemplo, qui & facultatibus illam præ cæteris amplificaverunt, & armis quoque non semel protexerunt: quum enim Ecclesiæ sit patrimonium Parma, hoc unum sollicitate voluit cavere, ne in manus veniret alienas, eoque nomine sumptus facit quotidianos, ac sustinet maximos, orat itaque, & vehementer quidem, ut in eam partem interpretetur, & quam de se Papa conceperit opinionem, deponat: id enim summo cum reipublicæ commodo eveniet, si vero satisfactione repudiata, paci bellum præferat, videat ipse, quanto id fiat, & Italiæ totius & Europæ detrimento atque periculo.*

Quam

ut nulla mora ad suam quisque Eccle- Sæcul. XVI.  
 siam revertatur. Hujus vero mandati A.C. 1551.  
 prætextum obtendebat, quod ad novos  
 errores, qui, ut agebat ipse, indies in  
 suis ditionibus invalescunt, penitus ex-  
 scindendos Nationale Concilium cele-  
 brandi necessitas suaderet. Hæc agen-  
 di ratio non parum exasperabat Pontifi-  
 cis animum, & quamvis hæc diffidia  
 absque aperta concordia, ac pacis læ-  
 sione componi maluisset, facti tamen  
 indignatio nimium irritabat Pontificem,  
 nec etiam re jamjam ferme maturata

U 3 post-

Quam diversa autem sunt hæc ab illis,  
 quæ Continuator adduxit, eo duntaxat siue,  
 ut a Papa hanc licentiam Octavio fuisse da-  
 tam, id vero perfrieta fronte ab eo fuisse ne-  
 gatum, lectori suo in Papæ invidiam persua-  
 dere posset: melius vero fuisset, si ex Pallavi-  
 cino historiae suæ hæc illius verba lib. II. cap.  
 12. num. 5. inseruisset: *Sunt, qui tradunt,*  
*sum Octavius angustiis, quibus premebatur,*  
*Pontifici expositis opem ab illo implorasset, Ju-*  
*lium obtenta Ævarii inopia respondiisse, qua pos-*  
*set ratione sibi consuleret: ex quo Farnesius in-*  
*terpretatus est tacitam quandam veniam sibi da-*  
*tam muniendi se quacunque posset, atque idip-*  
*sum Cameriano ut se purgaret causatum: sed*  
*nulla hac de re fit mentio in commentariis, qui*  
*ad meas manus pervenere.*

*Handl.  
 2. 11. 21. 1  
 2. 11. 21. 1  
 2. 11. 21. 1*

Sæcul. XVI postea recedendum esse existimabat;  
A.C. 1551 quapropter sex peditum millia, ac tre-  
 centos equites conscribi, eosque Bo-  
 noniam adduci jubet, ubi ejus copiæ  
 Cæsareis jungerentur.

## §. XCIII.

*Corneius Papæ Nepos in Parmensis  
 urbis causa in Franciam  
 ablegatus.*

*Pallav. l. c.* **H**is copiis iter facientibus, interea  
*c. 13. n. 5.* Pontifex, ut se ad declinandum  
*Daniel. p. 22* hoc bellum nil intentatum reliquisse o-  
*vid. Adv. l. 8.* stenderet, Ascanium Corneium Sor-  
 ris suæ Filium ad Galliarum Regem de-  
 crevit, eidemque præcepit, ut primo  
 Parmam delatus Ducem, quatenus ur-  
 bem Pontifici redderet, omnino horta-  
 retur, eique vicissim Camerinensem Du-  
 catum, necnon annuam quindecim au-  
 reorum millium pensionem in amissæ  
 ditionis compensationem offerret, eo-  
 quod Camerinensis Ducatus Parmensi  
 forte proventibus inferior esset, præci-  
 pue cum vix aliud Cæsari satisfaciendi  
 remedium ultra reliquum fore crederet-  
 tur. Verum Dux ad hasce propositio-  
 nes respondit hunc in modum: „ Cum  
 „ Galli Parmensem urbem jamjam oc-  
 „ cuparint, illos inde depellere haud  
 „ valeo,

„ valeo , quin Franciæ Regi perfidus  
 „ videar: de cetero , ut Pontifici obse- Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.  
 „ quar, quicquid Regi bene visum fue-  
 „ rit, exequi paratus sum. „ Hanc  
 ob rem Ascanius Henrici II. voluntatem  
 exploraturus in Gallias contendit, ve-  
 rum haud aliud ab eo responsum retu-  
 lit, nisi quod Rex cuncta ad Ducis be-  
 neplacitum præstare paratus sit. Ejus-  
 modi responsum Ascanio dare jamjam  
 Henricus, atque Octavius inter se con-  
 venerant; eo enim sat manifeste signifi-  
 care intenderunt, quod ex iis, quæ po-  
 stulabantur, nihil concedere velint: igitur  
 Ascanio Regis responsum referente,  
 bellum esse inchoandum decernebatur.

§. XCIV.

*Initium belli Parmensis.*

Ergo Ferdinandus Gonzaga unacum Thu. l. 8. n. 5.  
Sleic. l. 22.  
p. 811.  
 Mariniano Comite Hispanorum co-  
 pias ex Mediolanensibus, ac Pedemon-  
 tanis urbibus extractas in aciem edu-  
 cit, ac Placentiam delatas huic ur-  
 bi, necnon S. Donini oppido recen-  
 tem militiam imponit, hacque ratione  
 Parmam undique cinctam tenet, ut ob-  
 sessis messem mense Majo jamjam matu-  
 ram colligendi opportunitatem præri-  
 peret: postea omnes circa circum agros  
 devastari præcipit. Ad primos hosce

U 4                      hosti-

Sæc. XVI. A. C. 1551. hostilis violentiæ rumores Turnonius Cardinalis, & Paulus Thermus, quorum prior Galliarum Regis negotia in Italia procurabat, alter illius Oratorem Romæ agebat, se pacem a Papa obtenturos desperabant, quapropter Turnonius Venetias, Thermus vero Mirandulam, ubi Gallorum copiæ contrahebantur, secessit. Post hæc Gonzaga expeditionem suam auspicabatur a Bercellensi arce, quæ Ferrariensis Ducis Imperio obnoxia Castellum majus, ac ditionem Mantuanam interfecat. Capta hac arce, armis ardebant omnia, simulque Joannes Baptista Montanus cum quinque peditum millibus præter centum levioris armaturæ equites Bononia discedens trajecto Lenzo flumine sese Gonzagæ jungebat. Plura dein Parmensis ditionis oppida subiguntur, Octavius vero inter alia Columnum Joanni Francisco Sanseverinati eripit, eumque carceri mancipari jubet.

## §. XCV.

*Brissacus Marescallus in Italiam missus.*

*Sleid. l. c.*  
*p. 817.*

Interea Henricus II. Carolum de Cossa Brissacensem Marescallum cum validis copiis ablegabat, ut Octavio opem ferret. Ast Cæsarei Pontificio milite aucti

auſti eodem tempore Parmam ſimul, <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
& Mirandulam cum tanta animi forti- <sup>A.C. 1551.</sup>  
tudine aggrediebantur, & cunctam re-  
gionem qua late patet, tanto furore de-  
vaſtabant, ut Briſiacus reſiſtendo impar-  
unice hoſtem aliorum divertere ſollici-  
tus eſſet: unde exeunte menſe Auguſto  
Pedemontium, inde vero Montferratum  
contendit, ubi Chierium, S. Damiani  
oppidum, aliasque urbes ſuis armis  
ſubegit. Hujus irruptionis fama com-  
motus Gonzaga Parmenſis urbis obſi-  
dionem ſolvere compellebatur, veritus,  
ne hoſtis ſeſe in Mediolanenſem Duca-  
tum effunderet. Hoc factò Paulus Ther-  
mus Parmam, Sanſacus vero Mirandu-  
lam ingreſſi ſunt, utramque urbem pro-  
pugnaturi.

§. XCVI.

*Petrus Strozzius unicum copiis  
Parmam ingreſſus.*

Præterea Galliarum Rex, ut majori  
ſecuritati proſpiceret, Petrum Stroz-  
zium cum valido peditum agmine, nec-  
non Horatium Farnesium Caſtrenſem  
Ducem cum equitum cohorte in Italiam  
ablegabat. Igitur Strozzius per Helve- <sup>Thucm. l. c.</sup>  
tiam tranſiens, toto ſtudio Concordiam  
petiit, ibidemque rupta omni mora  
Reggium contendit, ubi intra exiguum

U 5 tempo-

Sæcul. XVI. temporis spatium residuas quatuorde-  
A.C. 1551. cim leucas emensus Parmam ingressus  
 est. Hujus Viri adventus, quo minus  
 erat expectatus, eo magis urbis cives,  
 præcipue vero Octavium ingenti solatio,  
 ac lætitia recreabat.

Cum autem Cæsaris arma in Italia  
 haud adeo magnos facerent progressus,  
 ejusdem Ministri majori inde odio in  
 Gallos concitabantur, eosque immeri-  
 to redarguebant, quod Octavium in  
 suam tutelam recepissent specietenus  
 quidem, hunc supplicem defensuri, re  
 tamen ipsa, ut Italiam bello opprimerent,  
 atque inter Christianos dissidia semina-  
 rent: „ Hanc ob rem, inquebant ipsi,  
 „ Henricus II. Galliarum Rex sollicita-  
 „ vit Imperii Ordines & Principes, ut  
 „ a Cæsare deficerent; neque Galli in  
 „ Concilium, quod ipforum rogatu Cæ-  
 „ sar ad faciendam Ecclesiæ concordi-  
 „ am coëgit, consentiunt, missis Lega-  
 „ tis, qui contestarentur, & illud pro  
 „ irrito Gallos habituros denuntiarent. „  
 His addebant: „ Rex nuper Brissacum,  
 „ ut belli occasionem quæreret, in Sub-  
 „ alpina regione cœnobium, quod Bar-  
 „ gæ pagi a Cæsarianis custoditi ditio-  
 „ nis est, occupavit, & festinato ope-  
 „ re nunc munivit. „ Præterea iidem  
 Cæsaris Ministri, ut Gallicam Nationem  
 summa invidia onerarent, nuper etiam  
 Regem

Regem cum Turcis in Christiani nomi-  
nis perniciem foedus inisse spargebant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Verum Galli, ut hasce criminatio-  
nes diluerent, Cæsari Carolo V. hæc  
objectabant: „Cæsar, cum Aquitania  
„ tumultibus, & seditionibus arderet,  
„ misso Burano Comite cum Anglis e-  
„ git, ut Burdigalensium tumultuan-  
„ tium tutelam fusciperent, & jus,  
„ quod in Aquitania armis amiserant,  
„ jure recuperarent: insuper pace ante  
„ biennium cum Anglis facta Santan-  
„ dreano e Britannia redeunti infidias  
„ tetendit, & quasdam e Gallicis na-  
„ vibus per Belgas interceptit, necnon  
„ Helvetios, quo minus cum Rege fœ-  
„ dus renovarent, sollicitavit, postre-  
„ mo Cæsar Carolo Marillaco Veneto-  
„ rum Episcopo apud Regem Oratori  
„ injuriose comminatus est, fore, ut si  
„ res ad arma deveniant, Cæsar Regem  
„ ad infimam conditionem redigeret.”

§. XCVII.

*Gallarum Regis interdictum de pe-  
cuniis Romam mittendis.*

Postmodum summus Pontifex, cum pro-  
fana in Galliarum Regem arma con-  
vertisset, simul etiam injuriam sibi ab eo  
illatam spirituali gladio vindicare statuit;  
quapropter Regem anathema incurrisse  
decla-

*Sleid. p. 821.*

decla-

Sæcul XVI  
A.C. 1551.

declarat, simulque totum Regnum interdicto subijci comminatus, eandemque excommunicationis pœnam in omnes, & singulos intentat, qui Octavium Ducem protegere, defendere, vel ei quovis pacto, vel auro, vel armis, vel consilio opem ferre præsumperint (\*). Ast vicissim Jacobus Amiotus adversus Tridentinam Synodum, quæ tum convocabatur, reclamare jubebatur, quinimo ipsemet Galliarum Rex gravi constituta pœna prohibebat, ne qua pecunia a suis subditis sub quocunque obtentu ex Francia Romam deferretur, vel mitteretur, nec pro beneficiis obtinendis ad Sedem Apostolicam recurreretur, simulque præcepit Rex, ut in omnibus negotiis Ecclesiasticis Ordinarii locorum tanquam Iudices implorarentur. (\*\*). Ut vero Galliarum Rex ostenderet, quod simul cum Pontifice dissidia fovere posset, quin tamen quicquam de sua erga Religionem studio remitteret, hinc se-

---

(\*) Notandum est, quod Sleidanus, quem Continuator unicum allegat, de hoc anathemate aliisque pœnis nullam faciat mentionem.

(\*\*) Cum citatus Sleidanus duntaxat interdictam pecuniarum transmissionem memoret, Continuator fecundo suo ingenio veluti ampliore Pontifices vexandi normam præscripsisse videtur.

severiffimum edictum die vigesima quin- Sæcul. XVI.  
 ta Junii Castro-Briantii datum promul- A.C. 1551.  
 gabat, quo in omnes de spuria reforma-  
 tione suspectos per universum Regnum  
 inquiri præcepit.

§. XCVIII.

*Bononiensis ditio a Strozziis, &  
 Horatio devastata.*

Sub idem tempus Strozzius, & Hora-  
 tius Farnesius, cum Cæsareos in æ-  
 quo campo potentia longe superiores  
 cernerent, nec illos aggredi auderent,  
 unacum copiis suis in Bononiensem a-  
 grum, necnon cum alio agmine in Pon-  
 tificis ditiones licentiosius sese effunde-  
 bant, ac falvis duntaxat vineis cetera  
 omnia ferro, flammaque devastabant,  
 tamque inhumano furore cuncta depu-  
 pulabantur, ut Papa subditorum lacri-  
 mis, atque ejulatibus commotus suum  
 exercitum nulla mora in miserorum o-  
 pem accurrere juberet, simulque suppe-  
 tias a magno Etruriæ Duce peteret.  
 Hic quoque Bononiam quantocius una-  
 cum mille armatis ære suo alendis Otto-  
 nem Montacutum emisit, ejusque ad-  
 ventu effecit, ut ab infestis incursioni-  
 bus aliquamdiu cessaretur, & Strozzius  
 opima præda onustus ad S. Antonii op-  
 pidum, quod haud procul a Mirandula  
 abest,

Sæc. XVI. abest, secedere cogetur. Equidem  
A.C. 1551. Mirandulanæ urbis obsidio fausta ha-  
 bebat auspicia, verum progressu tempo-  
 ris minus prospera adspirabat fortuna,  
 eoquod Paulus Thermus, qui sese ibi-  
 dem incluserat, hostium impetus in-  
 victa animi fortitudine eluderet. Hic  
 idem, cum aliquot Equitum Cæsareo-  
 rum alas in exercitu Pontificio esse com-  
 periret, literas ad Gonzagam dedit,  
 „ quibus, cum Regis animum semper  
 „ benevolum hætenus Cæsar expertus  
 „ sit, audire se ægre testatur, Cæsaris  
 „ copias hostibus militare, & ut ani-  
 „ mum super ea re suum aperiat, ro-  
 „ gat. „ Ad hæc Gonzaga ita respon-  
 dit: „ Nihil agit Cæsar, quod non ipsi  
 „ salvo fœdere, quod cum Rege inest,  
 „ liceat; eo enim Pontifex comprehen-  
 „ ditur, quem, & Sedem Romanam  
 „ ab injuria tueri tenetur; non mirari  
 „ ergo deberet, si dum Pontificem Cæ-  
 „ sar tuetur, Gallos ea, quæ Pontificiæ  
 „ ditionis sunt, invadentes aggredia-  
 „ tur: neque vero ignorare possit Rex  
 „ Mirandulam Sedis Romanæ benefi-  
 „ ciariam urbem esse, in quam nullum  
 „ jus Regi est, nisi quod armis, & vi  
 „ usurpet. „

§. XCIX.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

*Pontificis molimina contra Farnesios.*

Interea Marinianus Marchio Cæsaris nomine Montechium, & Castrum novum cepit, eisque præsidia imposuit. Cum vero Pontifex recenti periculo edoctus idem Castro aliisque Farnesianorum urbibus Romæ vicinis imminere metueret, Horatium tanquam Ecclesiæ hostem ad hanc Metropolin venire jussit, nec minus Farnesio Cardinali Urbinatem profecto, & Rainutio Cardinali ejus fratri diem dixit, ac Viterbiensem Legationem, qua hic posterior auctus erat, eidem ademit, eamque Carpio Cardinali contulit. Postea Rudolphum Ballonium unacum levioris armaturæ Equitibus alias corporis sui custodiæ designatis præter alia agmina Senis a Mendoza submissa ablegabat, ut omnia, quæ Farnesii in Campania Romana possidebant, occuparet. Nec id Rudolpho magni negotii res erat, eo quod Farnesiorum Fratrum Mater ultro has urbes traderet, pollicitatione facta, quod Pontifex eas bello confecto integra fide redditurus esset.

§. C.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

§. C.

*Farnesii, ac Turnonii Cardinalium  
oratio ad Papam.*

**I**nterea cum summus Pontifex pecuniarum inopia laboraret, ac Parmæ obfidio præter expectationem longius protraheretur, nec etiam Cæsaris Belliduces amplis belli progressibus sese extenderent, hinc nil opportunius esse videbatur, quam pacis consilia agitare: igitur Farnesius, & Turnonius Cardinales Papam adeunt, eique hæc exponunt: „Equidem si hoc bellum duntaxat eo tenderet, ut Germaniæ Lutheranis Religionem Catholicam non sine populi offensione ludibrio habendi occasio præberetur, eisque calumniandi ansa daretur, quod Christi Vicarius, ac communis Fidelium Pater extremæ suorum Filiorum, ac subditorum exitio adlaborare videretur, huic adhuc malo opportunum opponi posset remedium: ast Sanctitas vestra, vel maxime considerare debet, quod hæretici in dies in Galliis numero, ac potentia crescant, & Calvinii doctrina altiores ibidem radices agat, ad cuius incrementum, usque adeo diffidia ex bello orta conducunt, ut malo indies aucto, ac  
„ latius

„ latius sese diffundente manife-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 „ stum immineat periculum, quod om-<sup>A. C. 1551.</sup>  
 „ ne prorsus remedium hisce malis ob-  
 „ jiciendum effugeret, hæc igitur, sub-  
 „ jungebant Cardinales, Sanctitas sua  
 „ memori revolvat animo, ac serio per-  
 „ pendat, quod Clemens VII. Pontifi-  
 „ catus sui, atque insignium alias faci-  
 „ norum gloriam obscuraverit, cum  
 „ nimio suo, quo adversus Henricum  
 „ VIII. Cæsaris partes tuebatur, com-  
 „ placendi studio occasionem præbuis-  
 „ set, ut Angliæ Regnum a Sedis A-  
 „ postolicæ obsequio avelleretur: certe  
 „ majorem adhuc invidiam Sanctitas  
 „ vestra sibi accersit, si eidem fato Fran-  
 „ cia succumberet. Enimvero, adde-  
 „ bant Cardinales, num pie de Sancti-  
 „ tatis vestræ zelo sentire poterunt tot  
 „ populi, qui in Parmensi ac Bononi-  
 „ ensi ditioe devastati, atque ad inci-  
 „ tas redacti fuere? (\*)

§. CI.

(\*) Haud dissimulare possumus, quod nec  
 Thuanus a Continuatore antea allegatus, nec  
 alius Scriptor ullam de hac Cardinalium ora-  
 tione mentionem faciat: nimis autem proter-  
 ve eandem Continuator pro suo arbitrio con-  
 sarcinavit: cum tamen ei Thuanus ad illam  
 duntaxat his verbis ansam præbuisse videatur:  
*De pacis conditionibus actum est, Farnesius Car-*  
*Hist. Eccles. Tom. XL. X. dina-*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

§. CI.

*Summus Pontifex ad ineundam pacem valde propensus.*

*Thu. hist. l. 8.  
versus finem.  
Pallav. l. 13.  
cap. 2.*

Hæc oratio, præcipue vero Regis interdictum de pecuniis Romam mittendis, summo Pontifici ingentem creabat molestiam, ejusque animum vehement-

*dinalis operam dabat, ut res componeretur, pag. mihi 631. Hist. lib. 6. edit. Parisinæ ann. 1604. Qua autem ratione Continuator in Clementem VII. Anglicanæ defectionis culpam conjicere ausus fuit, cum tamen in historia Regii divortii eundem Clementem sæpius Henrici VIII. Regis partibus favisse retulerit. En! quam subdolis artibus Pontificum hostes suis historiis ea inferere satagant, quæ lectoribus odium erga Ecclesiam, ejusque caput instillare queant, ac Progressu temporis tantam obtinent auctoritatem, ut ab aliis postea Scriptoribus denuo, ac sæpius recensita, atque ab incautis Lectoribus percepta, tanquam facta extra omnem dubium posita, ac certa veritatis argumenta recipiantur. Revocentur ad sanam crifin pleraque schediafmata adversus Pontifices passim evulgata, & me hercle! prudens Lector ex confictis ejusmodi documentis ea esse hausta deprehendet, simulque agnoscet, quam duritia sit hodie plurimorum Scriptorum fides.*

menter commovebat ; atque illi pacis  
 consilia inspirabat : quocirca Turnonio  
 Cardinali hæc in responsis dedit : „ De  
 „ sincera mea amicitia Regem Christia-  
 „ nissimum omnino certum reddas ve-  
 „ lim, eique significes, quod nunquam  
 „ cogitaverim, minus vero arma in eum,  
 „ sed unice contra Octavium Ducem  
 „ strinxerim : „ Insuper eidem Cardina-  
 li, ut ipse de pace cum Rege ageret,  
 injunxit, quinimo addidit, quod maxi-  
 me optet, ut suum, Regisque honorem  
 illæsum servaret. Postea Regem roga-  
 bat, ut Legatum suum ad eum decerni,  
 æquo ferret animo. Ad hæc Henricus  
 II. harum propositionum haud ignarus  
 ad postremam speciatim respondit, Le-  
 gatum omni benevolentia, cunctisque  
 honoribus suæ dignitati debitis exce-  
 ptum iri, nec Regis obsequium in Se-  
 dem Apostolicam ob præsens bellum ul-  
 lo pacto fuisse labefactatum. Hac pro-  
 missione fretus Pontifex Cardinalem  
 Verallum nominabat Legatum, Carpi-  
 um vero itidem Cardinalem eadem  
 Legati dignitate auctum ad Cæsarem  
 ablegabat.

## §. CII.

*Synodi Tridentum revocatae con-  
 tinuatio.*

Primis hisce concordiae auspiciis sum-

Sæcul XVI.  
 A.C. 1551.

Sæcul. XVI. mo Pontifici ad urgenda Synodi negotia expedita magis aperiebatur via:

A.C. 1551.

*Vide Inpra*

§. XVI.

*Pallav l. 11.*

*c. 13. n. 1.*

*Rayn. ann.*

*1551. n. 4.*

equidem Concilii Tridentini continuationi, seu potius restorationi præfixa erat prima dies Mensis Maji, ut tamen prævie ad prosperum tam gravis negotii successum necessaria disponerentur, Papa die quarta Martii Patrum Senatum habuit; in quo suo nomine Concilii Præsidentem nominabat Cardinalem Marcellum Crescentium patria Romanum, qui præter profundam eruditionem rara prudentia, ac sapientia longe clarissimus erat. Huic vero, ut sumptibus parceret, nullos adjunxit socios, ipsi tamen duos, qui ejus consiliis præsto essent, adjecit scilicet Sebastianum Pighinum Sipontinum, atque Aloysium Lippomanum Veronensem Antistitem. Hosce duos Prælatos studiose ex Ordine Episcoporum selegerat, eoquod hoc pacto novum decus Episcopali dignitati accedere crederet, simulque querelis, ac suspicionibus illorum obviaret, qui in prima Tridentinæ Synodi convocatione Legatos, cum omnes tres essent Cardinales, iniquo sustinebant animo.

§. III.

*Mandati literæ a Papa Legato, atque utrique Nuntio datæ.*

Cum summus Pontifex hisce suis Legatis

gatis in pluribus privatis colloquiis sat  
 luculenter testaretur, quod illos præ  
 ceteris ob singularem eorum prudenti-  
 am selegisset, ac plurimum in eis con-  
 fideret, insuper ipsis amplissimæ faculta-  
 tis literas expediri jussit, vi quarum Pon-  
 tificis nomine Concilio præesse valerent:  
 Datæ sunt hæ literæ secundo Pontifica-  
 tus sui anno. Earum tenor est sequens:  
 Quandoquidem boni Patrisfamilias sit vica-  
 riam aliorum operam surrogare, ubi &  
 commode interesse non potest, nos, qui Con-  
 ciliium generale a Paulo indictum olim, Tri-  
 dentum nunc convocavimus, bona spe freti  
 vivimus, Reges & Principes favorem ei  
 suum, operamque commodaturos, Præsu-  
 les huic actioni intervenire solitos ad Calen-  
 das Majas citavimus, ad Concilium in eo,  
 in quo nunc reperitur statu Tridenti resu-  
 mendum. Verum cum propter provecctam æ-  
 tatem, aliaque impedimenta pro voto coram  
 adesse nequeamus, ne per absentiam nostram  
 bonum publicum detrimentum patiatur, Mar-  
 cellum Crescentium S. R. I. Cardinalem tit.  
 S. Marcelli, virum pium, prudentem, re-  
 rumque intelligentem Legatum nostrum, Si-  
 pontinum vero Archipræsulem, necnon Ve-  
 ronensem Episcopum scientia, rerumque a-  
 gendarum experientia præcellentes, cum spe-  
 ciali mandato, & idoneis clausulis Nun-  
 tios constituimus. Hos tanquam Angelos  
 pacis Tridentum mittimus, eisque manda-  
 mus,

X 3

mus,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

Hist. Conc.  
 Trid. Paul.  
 Suavi ad fin.  
 l. 3. p. 292.  
 Angel. Mas-  
 sarel. in diar.  
 Conc. Trid.  
 MS. 1. Arch.  
 Vat. p. 402.

LVI.  
 nego-  
 via:  
 inua-  
 defixa  
 men  
 nego-  
 ntur,  
 trum  
 mine  
 dina-  
 Ro-  
 rudi-  
 lon-  
 sum-  
 cios,  
 præ-  
 num  
 sum  
 tem.  
 Ordi-  
 hoc  
 itati  
 elis,  
 qui  
 oca-  
 ffent  
 ao.  
 at-  
 Le-  
 atis

Sæcul. XVI. A.C. 1551. *mus, ut potestate ipsis demandata Concilium resumant, gubernent, & prosequantur, aliaque omnia necessaria ac opportuna faciant; juxta tenorem literarum a nobis, & Decessore nostro super convocazione Synodi editarum (\*).*

## §. CIV.

*Synodi Tridentinæ Præsides Roma profecti.*

*Pallav. c. 14.  
n. 1. & seq.  
Raynal. l. c.  
num. 5.*

Postquam hi tres Præsides concessæ facultatis literas acceperant, summus Pontifex eis injungebat, ut nulla mora itineri sese accingerent, ac præstituta die Sessionibus initium darent, etiamsi nulli Præsules Tridenti adessent, in hoc imitantes exemplum Nuntiorum a Martino V. ablegatorum, qui Papiense Concilium inchoarunt, quamvis nonnisi duo Burgundiæ Abbates convenissent (\*\*). Præficietur a Synodi Secre-

(\*) Ex quonam Authore Sarpus hoc Pontificis diploma desumpserit, ignoramus, cum nec ille ullum testem pro more suo alleget, quapropter longe majorem auctoritatem obtinent ejusdem Pontificis literæ, quas Raynaldus Odoricus ex Diario Angeli Massareli utpote Authoris coævi, omniumque rerum ibidem gestarum peritissimi loc. cit. refert.

(\*\*) Duplex in hoc detegitur Continuatoris

Secretis Angelus Massarellus, qui a Pa-<sup>Sæc. XVI.</sup>  
 pa Bononiam pertransire jubebatur, ut <sup>A.C. 1551.</sup>  
 cum Cardinale Crescentio ibidem agen-  
 te conferret, eique significaret, quod  
 tunc,

toris halucinatio; primo enim hæc perperam  
 descripsit ex suo Paulo Sarpio, qui tamen pau-  
 lo modestior asserere haud ausus est, quod Nun-  
 tii Pontificii Concilium inchoare jussi fuerint,  
*etiamsi nulli Præfules Tridenti adessent*; Sar-  
 pius enim tantummodo hæc dicit: *Papa cum*  
*his solis, qui aderant, aperiendum edixit, eti-*  
*amsi nullum idoneum numerum reperirent.* Se-  
 cundo, qua ratione Continuator dicere pote-  
 rat, Papiense Concilium a Papæ Nuntiis fuisse  
 inchoatum præsentibus duntaxat duobus  
 Burgundiæ Abbatibus? Forte oblitus erat,  
 quod ipse tom. 26. lib. CIV. §. CCXXI. fol.  
 499. duntaxat Ultramontanos abfuisse scripse-  
 rit, percipiamus ergo ipsius verba: *Martinus*  
*præstito tempore jamjam evoluto illuc ablega-*  
*vit Oratores, nimirum Petrum Abbatem Ro-*  
*satium, Aquileiensis Diæcesis, & Leonardum*  
*supremum Ordinis FF. Prædicatorum Præpo-*  
*situm, intererant etiam nonnulli Franciæ, Ger-*  
*manicæ, & Anglicæ Deputati, datumque est Sy-*  
*nodo initium in Mense Majo, quamvis Ultra-*  
*montani necdum adessent, exceptis duobus Bur-*  
*gundiæ Abbatibus, & Joanne Bastone Car-*  
*melita, qui a Clero Angelicano missus fuerat.*

Forte Papam latebat, quod jam diu Madru-

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

tunc, cum ex Dandini apud Cæsarē agentis epistola a Carolo promptam Synodi inchoationem peti intellexisset, Crescentius nulla mora Tridentum contenderet, Bononiæ autem, si id a Carolo non postularetur, persistere posset, ea tamen lege, ut Synodus præfixa die inciperetur. Hanc ob rem summus Pontifex ad diem decimam quartam Aprilis publicas, ut Dei opem pro felici hujus negotii Religioni tantopere necessarij successu eo certius obtineret, supplicationes indixit, simulque omnibus, quorum tunc Romæ octoginta quatuor erant, Episcopis injunxit, ut protinus Tridentum venirent: cum vero Crescentius adventante Massarello nondum de Cæsaris mente per Dandinum fuisset certior factus, hinc Bononia non excessit. Verum Pontifex mutata animi sui sententia eidem significabat, honestius esse, si Synodus præsentis Pontificis Legato inchoaretur: itaque Crescentius unacum duobus Papæ Nuntiis, ac nonnullis Præsulibus Bononia profectus die vigesima nona Aprilis Tridentum venit, quem Cardinalis Madrutius cum omnibus Archiepiscopis, atque Episcopis, qui

tius Cardinalis unacum tredecim Præsulibus Tridenti fuerit commoratus, ut in hoc ipso §. Continuator refert.

qui numero tredecim jamjam in urbe agebant, cum ingenti honorum significatione exceperunt, eique obviam processerunt. Eundem quoque officiosa salutatione, & oratione latina honorabat Laurentius Platanus natione Belga Tridentini Cardinalis nomine, cui a Secretis erat: huic vero sermoni Antonius Floribellus Mutinensis Pontificii Legati nomine respondit.

§. CV.

*Legatus, ac Præfides Tridenti excepti.*

Postquam Crescentius Legatus, ac Synodi Præfides ad Templum urbi proximum advenerant, illud ingressi, itinerantium habitu deposito Pontificias vestes induebant. Ibidem Franciscus Vargas Hispanus Cæsarei Fiscii Procurator, atque Jurisconsultus ab Imperatore ad Synodum decretus commissæ sibi facultatis, ac mandati literas protulit, & Præfides omnino certos esse voluit, quod Cæsar summo studio, atque affectu Synodi commoda promovere, illamque protegere velit, atque ingenti prorsus lætitia affectus sit, eoquod Patres rursus congregatos cerneret: postea fufius in Papæ, Legati, atque utriusque Nuntii encomia excurrit. Ad

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

*Pallav. Es  
Rayn. l. c.  
Cæsarei Fiscii  
Procur. edit.  
Pallav.*

Sæcul. XVI. hæc Crescentius breviter quidem, re-  
A.C. 1551. verenter tamen, ac graviter respondit.  
 Denique conscensis iterum equis omnes  
 urbem ingressi sunt bini, ac bini, Lega-  
 tus, & Cardinalis Madrutius Tridenti  
 Episcopus, tum duo illi Nuntii, ac de-  
 mum reliqui pro more Antistites. Per-  
 solutis hisce solemniis in ejusmodi oc-  
 casione consueta Legatus ad Palatium  
 suum deducebatur. Eadem die Fran-  
 ciscus Toletanus Cæsaris Legatus Tri-  
 dentum venerat, ac biduo post Synodo,  
 & Sessioni undecimæ initium dabatur.

## §. CVI.

*Quædam statuta ante Synodi celebra-  
 tionem condita.*

*Acta & De-  
 creta Conc.  
 Trid.  
 per Nic. Psal-  
 meum in S.  
 Antiq. mo-  
 num impress.  
 Stivagii an.  
 1725. a Patro  
 Hugo.  
 Pallav. l. c.  
 num. 3.* Interea Imperator sollicitè ex Augu-  
 stana urbe literas encyclicas divulga-  
 bat, quibus omnes a Papa ad Syno-  
 dum convocatos, iter maturare roga-  
 bat, & cunctis suis subditis, quibus  
 Synodum accedendi jus compete-  
 bat, interesse præcepit, publicæ fidei lite-  
 ras, plenamque securitatem pollicitus.  
 Datæ sunt hæ literæ Augustæ die vige-  
 sima tertia Martii. Pariter Joannes  
 Archiepiscopus Trevirensis die quar-  
 ta Aprilis datis Ehrenberti - Saxi  
 literis ad Synodum vocabat Nicolaum  
 Psalmeum Ordinis Præmonstratensium  
 Abba-

Abbatem S. Pauli, ac Verdunensem Sæcul. XVI. A.C 1551.  
 Episcopum, qui hujus Synodi sub Ju-  
 lio II. restauratæ acta posteris reliquit.  
 Cum vero ad Sessionis initium dubita-  
 retur, quænam Sedes Madratio Cardi-  
 nali assignanda esset, & an duos Papæ  
 Nuntios, vel præcederet, vel sequere-  
 tur, hac super re Massarellus, qui Sy-  
 nodo a secretis erat, ad Pontificem re-  
 scripsit, qui ita respondit: *In functio-  
 nibus, quæ ad Synodum non spectant, Ma-  
 druccius præcedat; in iis autem, quæ Sy-  
 nodi sunt, sive Sessiones, sive Conventus,  
 tres Præsides una consideant, æque, ac quan-  
 do tres Legati aderant; Madruccius vero  
 Sedem propriam habeat decore ornatam, &  
 a ceteris Episcopis sepositam.*

Insuper sancitum, ut Philippo Cæ-  
 saris Filio, si in Hispaniam redux, Tri-  
 dentum fors brevi pertransiret, Lega-  
 tus eidem extra urbis portas obviam  
 procedat, eundemque ad dexterum la-  
 tus collocatum usque ad Palatium su-  
 um comitetur, quin tamen ab equo de-  
 filiat.

§. CVII.

*Sessio undecima Concilii Tridentini.*

Rebus omnibus ita dispositis Patres  
 prima Maji die in Ecclesia Cathe-  
 drali congregati Sessionem undecimam  
 celebrabant. Erant Sedes eo adhuc  
 ordine

*Psalm. Act.  
 Trid. p. 220.  
 Pallav. n. 4.  
 Sarpinus l. 4.*

Sæcul. XVI. ordine instructæ, quo unicuique olim  
 A. C. 1551. in Synodo sub Paulo III. habita fuerant  
 assignatæ. Porro Crescentius Legatus  
 Lab. Collect. Conc. to. 14. p. 798. folemne sacrum de Spiritu sancto decan-  
 Raynald. hoc tabat, Franciscus vero Sigismundus Fe-  
 drian. n. 8. drius cognomento Diruta sermonem ha-  
 buit. Postea Legatus paucis verbis ad-  
 ventus sui causam exponens fusius com-  
 mendabat æquam, piamque Pontificis  
 voluntatem, qua Ecclesiæ per hæreses  
 afflictæ succurrere nititur, speratque,  
 quod ex hoc Concilio bona, hucusque  
 optata referre valeat, præcipue vero  
 pacem, quietem, atque Ecclesiæ tran-  
 quillitatem. Declarabat etiam, quod  
 Papa summopere esset affectus erga ip-  
 sos Prælatos Tridenti agentes, cum  
 jam diu eorum pietatem, & doctrinam  
 sibi perspectam habuisset. His addidit:  
*Excusandi sunt Italiæ Præsules, quod ad-  
 huc ad Concilium non venerint ob præsentis  
 anni sterilitatem præpediti.* Postremo mul-  
 tis de causis, ac rationibus ostendit fu-  
 turam Sessionem ad primam Septem-  
 bris diem esse differendam: nunc vero  
 duntaxat declarandum, quod Syno-  
 dus legitime incæpta, ac deinceps sit  
 continuanda.

## §. CVIII.

*Decretum de restauranda Synodo.*

**P**ost hæc Massarellus Synodi Secreta-  
 rius

rius convocati Concilii diploma præle-  
git, eoque absoluto sequens recitabat Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

Decretum: *Reverendissimi, & illustris-  
simi Domini, & Reverendi Patres: placet-  
ne vobis, ad laudem, & gloriam sanctæ,  
& individuae Trinitatis, Patris, & Filii  
& Spiritus sancti, ad incrementum, & ex-  
altationem fidei, & Religionis Christianæ,  
sacrum Oecumenicum, & generale Conci-  
lium Tridentinum, juxta formam, & teno-  
rem literarum sanctissimi Domini nostri, re-  
sumi debere, & procedendum esse ad ulterio-  
ra?* responderunt: *Placet.*

Præterea, *placetne vobis proxime fu-  
turam Sessionem habendam, & celebrandam  
esse in futuris Kalendis Septembris?* Itidem  
omnes respondebant: *Placet.*

His diebus ad ulteriora non proce-  
debatur, Hispani tamen Doctores illis  
solemnioribus diebus, in quibus sacra  
Pontificio ritu celebrabantur, quosdam  
sermones declamabant, nec minus quæ-  
dam habebantur Congregationes ad  
discutienda Sessionis argumenta institu-  
tæ, quibus tamen ob Theologorum ab-  
sentiam debita forma deerat: unde dun-  
taxat ea recitabantur, quæ Bononiæ  
agitata fuere, ut hoc pacto de iis, quæ  
postea erant pertractanda, deliberatio  
maturari posset, præsertim circa mo-  
rum emendationem, quæ maximum  
videbatur habere momentum, eo po-  
tissi-

Sæcul. XVI.  
A C. 1551.

tissimum nomine, quod Imperator Germaniæ Protestantes in Synodo audiri, impense peteret. Ceterum proxima Sessio confluentium numero haud adeo conspicua fuisset, nisi Moguntinus, & Trevirensis Archiepiscopi, ac S. R. L. Electores advenissent; horum enim præsentia quamplurimos alios Germaniæ Prælatos alliciebat.

## §. CIX.

*Pontificis epistola ad Helvetios.*

*Sleid. comm.*  
*l. 22. p. 811.*  
*Thu. hist. l. 8*  
*Raynald hoc*  
*ann. n. 10.*

Illo temporis intervallo, donec Sessio duodecima celebraretur, interea Cæsar die decima tertia Maji bellum Parmensi Duci nuntiabat, Pontifex vero die vigesima secunda ejusdem Mensis Hieronymum Francum, qui olim regnante Paulo III. legationeungebatur, rursus in Helvetiam decernebat, eique literas amoris affectu plenas consignabat hunc in modum scriptas: *Sicut Julii II., qui in magna charitate vos complexus est, nomen mihi sumpsit, ita etiam in vobis diligendis exemplum illius, atque vestigia ad imitandum proposui: adhuc quidem variis, atque gravissimis reipublicæ distento negotiis non mihi licuit studium animi mei declarare, sed tamen vestrorum retinui memoriam constantem: idque ex duabus potissimum rebus apparet: primum, quod ad mei corporis custodiam*

ex

ex ea gente satellitium in urbe delegerim, de- Sæcul. XVI.  
 inde, quod idem quoque fecerim Bononice, A C. 1551.  
 confisus vestra, & industrice, & fidelitati:  
 nunc autem, quando est indictum, & nu-  
 per ad Maji calendas inchoatum Tridenti Con-  
 cilium, scribendi data ad vos occasio est: cum  
 igitur ad tam pium opus, atque necessarium  
 adjuvandam, magni sit vestrum futura mo-  
 menti conjunctio, plurimum hortor, ut qui  
 sunt per vestros fines, atque ditionem Pro-  
 ceteros Ecclesiastici, ne desint, sed ad alterum  
 ibi confessum, calendis Septembris adsint: re-  
 liqua ex Hieronymo Francho, Equite, &  
 Legato meo, cujus & fides, & diligentia  
 est vobis a multis nunc annis explorata, co-  
 gnoscetis: deinde, quia mihi negotium hoc  
 magnopere est cordi, non multo post tempo-  
 re mittam aliquem e meis intimis Episcopis,  
 qui de Concilii rebus vobiscum agat prolixius.

Verum hæc Pontificis Legatio op-  
 tato caruit successu; Morletus enim, qui  
 apud Helvetios Galliarum Regis Lega-  
 tum agebat, tam efficaci conatu resti-  
 tit, ut Francus nihil eorum, quæ Pon-  
 tifex petebat, impetrare possit.

§. CX.

*Philippus Cæsaris Filius Tridenti  
 exceptus.*

Exeunte Mense Majo Philippus Archi- *Pak. l. II. c.*  
 dux Austriæ comitante illum Maxi- *15. n. I. & 2.*  
 milia- *Sleidan. l. c.*

Sæcul. XVI. miliano ejus Patruele, ac Sororio Augusta discesserat, accepto Cæsaris mandato, ut omnibus notum faceret, quatenus in illis urbibus, quas pertransiturus esset, nulla solemnibus ingressus pompa, nec officiosis salutationibus honorari velit, ne illius iter retardaretur. Excipiebat tamen Imperator honores, quos Filio suo Tridenti exhiberi peroptabat. Advenerat illuc Philippus die quarta Junii, cui Crescentius Legatus, ejusque duo Socii unacum Cardinale Madrutio ad mediam Leucam extra urbis portas obviam ibant, comitantibus illos ceteris Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Præsulibus, qui omnes bini equis vestiti, ac supparo, ut vocant, aperto induti pileos gestabant vittis pendulis ornatos. Adventantem nomine Concilii Præses unacum Madrutio Cardinale obsequiosis verbis excipiebant, quin tamen ex equis suis desilirent: ambos quoque Philippus equo suo insidens amplexu honorabat, ceteri vero Principes (\*) ex equis descendentes Archiducis dexteram reverenter deosculabantur; perofficiose autem Philippus magis honorifi-

(\*) Legendum putamus *Præsules*; tum enim nulli adhuc Principes Synodum accefferant.

rificum locum, seu dextrum latus Pontificis Legato offerebat, qui tamen ejusmodi honorem acceptare recusabat: igitur Archidux medius inter duos Purpuratos urbem ingreditur, atque ad Episcopi, qui eum hospitio excipiebat, Palatium deducitur. Altera die eundem Legatum invisit, qui obviam ei extra ædium suarum limen occurrebat, subsequenter Præsulum quamplurimis. Media ferme hora ibi commoratus Archidux, equo vectus urbe excessit, utrumque ejus latus stipantibus duobus Purpuratis, qui eum per trecentos circiter passus comitabantur usque ad exiguam quandam Insulam, ubi Madrutius magnificentum prorsus Palatium, aureis aulæis, picturis, ac statuis insigniter ornatum construi jusserat, atque opiparum convivium paraverat.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Porro Philippus, duo Cardinales, *Pallav. l. c.*  
& Pedemontii Princeps Sabaudia Du.<sup>n. 3.</sup>

cis Filius, qui Archiducem in Hispaniam comitabatur, pari gradu eidem mensæ affidebant, reliqui vero Proceres, ac Prælati in subsellio quatuor circiter digitis humiliori collocati in separata mensa prandebant. Postera die Crescentius Papæ Legatus Archiducem salutatum advenerat, eique impense Synodi negotia commendabat, quem Philippus perhonorifice excipiens palam

*Hist. Eccles. Tom. XL.* Y profi-

**Sæcul. XVI.** profitebatur, quod Cæsar ejus Parens  
**A.C. 1551.** potius vitæ suæ dispendium facere,  
 quam summo Pontifici quovis pacto molestiam inferre paratus sit. Discesserat demum Tridento Archidux die nona Junii, comitantibus eum Præfulum, ac Nobilium quamplurimis, qui eidem post unius horæ iter valedicebant: ipse vero iter suum Genuam usque prosequeretur, quin juxta Cæsar's mandata unquam publicas honorum testimoniationes acceptaret.

## §. CXI.

*Maximilianus Bohemæ Rex Tridentum pariter prætervedtus.*

*Pallav. l. II.* **P**aucis post diebus Maximilianus Bohemæ Rex Ferdinandi Romanorum Regis Filius pariter Tridentum accessit, ut Philippum Archiducem Genuæ salutaret, ac cum eo in Hispaniam delatus conjugem suam unacum duabus proli- bus suis inde deduceret: cum vero festinanter, ac sine ulla pompa, & privati cujusdam Nobilis more veredariis equis urbem præterveheretur, hinc illi obviam haud ullus processit, nec singulares ei honores exhibiti sunt. Tertio demum die discessit unacum Madrutio Cardinale, qui Mantuam usque illi comes adfuit,

adfuit, eoquod illius Episcopatus in Sæcul. XVI.  
 Ferdinandi Regis ditioe esset. A.C. 1551.

## §. CXII.

*Præsules Synodum accedere a Carolo Cæsare iussi.*

Vix ambo hi Principes transibant, cum Pallav. l. c.  
 Moguntini Electoris Orator adveni-  
 ret, qui Principis sui absentiam excusa-  
 bat, eoquod post diurnam in Comitibus  
 Augustanis moram illius præsentia in  
 sua Dioecesi oppido necessaria esset. His  
 quoque ista subjunxit Orator: brevi Ar-  
 chiepiscopus noster Procuratorem mis-  
 surus est, ceteri quoque Electores Ec-  
 clesiastici suos quoque delegabunt:  
 verum Legatus hanc excusationem haud  
 æquam ratus, contendebat. S. R. I. Ele-  
 ctores Ecclesiasticos obstringi, ut per  
 semetipsum Synodo intersint, eoquod in  
 gratiam Nationis Germanicæ Triden-  
 tina civitas, ut ceteris valde incom-  
 moda, fuerit selecta: cum ergo Electo-  
 res Legati constantiam admirarentur,  
 haud ultra suis prætextibus insistendum  
 censebant; quapropter Moguntinus nul-  
 la mora sese itineri accingens unacum  
 Archiepiscopo Trevirensi Tridentum  
 Mense Augusto venit: Coloniensis  
 quoque præmissis Nuntio se mox acces-  
 sarum significabat, ac domicilium illic

Sæc XVI. sibi adornandum curabat : unde eodem  
 A.C. 1551. Episcopi ad Synodum confluebant. Ce-  
 terum Moguntinus Elector vocabatur  
 Sebastianus de Hausenstein, Treviren-  
 sis vero Joannes de Eysenburg. Porro  
 Carolus Imperator tres ad Synodum Le-  
 gatos decernebat, qui erant Hugo Co-  
 mes Montefortius nomine Imperii, Gui-  
 lielmus a Pictavia Belgicarum Provin-  
 ciarum Legatus, ac denique Francis-  
 cus Toletanus nomine Cæsaris. Adve-  
 nerant quoque plures Oratores a Ferdi-  
 nando Rege ablegati.

## §. CXIII.

*Melanchton ab Electore Mauritio do-  
 ctrinæ articulos conficere jussus.*

*Steid. comm.* Interea Mauritius S. R. I. Elector se  
*l. 22. p. 813.* Cæsaris jussis speciali quadam ratio-  
*Thu. l. 8. n. 4.* ne morem gerere ratus Melanchtoni,  
 aliisque Protestantium Theologis nego-  
 tium dabat, ut doctrinæ in Synodo pub-  
 lica exhibendæ capita conscriberent.  
 Hoc labore confecto omnes Theologi,  
 ac Præcones jussu Mauriti Principis  
 ad octavam diem Junii Lipsiæ conven-  
 rant, scriptumque ab eis examinatum  
 unanimi suffragio comprobarunt. Ean-  
 dem quoque rationem inibat Christo-  
 phorus Wittembergæ Dux, hancque  
 Pro-

Provinciam committebat Brentio, qui <sup>Sæcul. XVI.</sup> ferme ejusdem conditionis cum Me- <sup>A.C. 1551.</sup> lanchtone libellum conscripserat. Nihilominus suam quisque fidei professionem separatim exhiberi gestiebat; quippe Mauritius, qui hucusque latens hæresis suæ venenum occultabat, haud temere verebatur, ne ex eo, si omnes suæ factionis Doctores eandem communi nomine doctrinam simul proponerent, Cæsaris Ministri facile suspicionem conciperent, quod quædam inter Protestantes Societas fuerit inita. Sub idem tempus Argentinenses quoque fidei confessionem ceteris haud multum absimilem divulgabant.

## §. CXIV.

*Saxonie Elector, & Wittembergæ  
Dux de publica securitate sibi  
caveri postulantes.*

**H**isce articulis ita confectis Saxonie <sup>Sleid. p. 814.</sup> Elector, ac Wittembergæ Dux jun- <sup>Thuan. l. 6.</sup>cto consilio die vigesima septima Julii literas ad Cæsarem dederunt hanc in sententiam: *Equidem Theologi nostri ad Synodum accedere parati sunt: verum audivimus in Concilio Constantiensi decretum esse factum, ut in hæreticos aut alioqui suspectos inquisitio fieret, si forte ad Con-*

Sæcul XVI  
A.C. 1551

lium vocati venissent, deque ipsorum crimine pronuntiaretur, etiamsi Cæsar ipsis idonee cavisset, hoc decretum in publicis extat monumentis, Et quod ita statuerint, ipsa re comprobatum extat, necato Joanne Husso, qui Sigismundi Cæsaris fidem secutus eo venerat: quod cum ita sit, non possumus quemquam e nostris mittere Tridentum, nisi qui sunt ibi proceres Ecclesiastici, fidem quoque suam, communis Concilii nomine interponant, sicut in Concilio quondam Basileensi in favorem Bohemorum factum est, quod proximum ab illo fuit: Bohemi enim, exemplo superiori commoti, noluerunt tum eo venire, nisi prius accepta fide publica totius Concilii: petimus igitur, ut Cæsar pro sua vel auctoritate, vel gratia hoc apud illos Patres pro securitate nostrorum Theologorum efficiat, nisi enim ad eandem formam, ut olim Basileæ, caveatur, non debet nobis, vel etiam aliis ejusdem professionis esse fraudi, si neminem e nostris eo proficisci patiamur, ne illos eidem Joannis Husso Constantiæ combusti fato exponamus. Par enim nobis conditio esse videtur cum Bohemis, atque ex iisdem ferme causis, propter quas Basileense erat convocatum, etiam Tridentinum Concilium indicitur, nimirum pro extirpanda hæresi, pace Ecclesiæ restituenda, ac moribus emendandis. Ad hæc respondit Imperator, se suos Oratores Tridentum missurum, eisque daturum negotium,

tium, ut a Patribus publicæ securitatis literas, quas postulant, obtineant. Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

## §. CXV.

*Sessio XII. Concilii Tridentini.*

Interea Moguntinus, & Trevirensis Electores, necnon Viennensis, Constantiensis, Curiensis, & Naumburgensis Episcopi Tridentum venerunt, singulari lætitia, ac communi omnium applausu excepti, & mox omnia, quæ erant necessaria, parabantur ad Sessionem duodecimam, quæ præstituta die prima Septembris fuit celebrata. Procedebant ad Cathedralem Ecclesiam Synodi Patres hoc Ordine. Omnium primus erat Marcellus Crescentius Papæ Legatus, quem duo Nuntii comitabantur, iisque proximi incedebant Cardinalis Tridentinus, ac Moguntinus, & Trevirensis Archiepiscopi, sacrique Romani Imperii Electores; nondum enim Coloniensis advenerat, hos sequebantur Montfortius Comes, & Franciscus Toletanus Cæsaris Legati, ac denique Romanorum Regis Orator, quos tamen Archiepiscopi, atque Antistites præcedebant, Cunctis Ecclesiam ingressis Balthasar Erodia Calariensis Episcopus solemne sacrum de Spiritu sancto celebrabat, & postea nomine Præsidium re-

*Labbe Coll.**Conc. t. 14.**p. 803.**Pall. l. 11. c.**15. n. 6.**Raynald. h. c.**ann. n. 27.**Thu. l. 8. n. 3.*

Sæcul. XVI. citabatur sermo, quo Patres moneban-  
A.C. 1551. tur, ut omni studio, ac sollicitudine  
 Ecclesiæ Catholicæ defensionem, ac hæ-  
 resum extirpationem invigilent. In ea-  
 dem oratione Synodus exultabat de ad-  
 ventu duorum Illustrium Germaniæ  
 Præfulum, ac S. R. I. Electorum, fir-  
 mamque inde spem concipiebat, *quam-*  
*plurimos tam ipsius Germaniæ, quam alia-*  
*rum Nationum Prælatos hoc exemplo com-*  
*motos propediem esse venturos, ut Synodi*  
*negotia ad majorem Dei gloriam, at-*  
*que Ecclesiæ honorem decidi possent.*

## §. CXVI.

*Oratio Synodi Præsidum nomine  
recitata.*

*Labbe p 799.* Postea Præsides in eadem oratione ita  
 prosequerentur: *Nostras esse partes*  
*duximus, pro loco ac persona, quam susti-*  
*nemus; ut in principio, & tanquam limi-*  
*ne actionum nostrarum, pauca verba vestri*  
*simul, & nostri hortandi, atque admonen-*  
*di causa faciamus; etsi enim vos pro vestra*  
*pietate, & sapientia, ac studio salutis ani-*  
*marum, in tam gravi Christianæ Reipubli-*  
*cæ tempore, ac necessitate, bonorum Sacer-*  
*dotum, & Pastorum officio fungi paratos*  
*esse minime dubitemus; nihilominus cum tol-*  
*lendæ sint nobis, atque extirpandæ hæreses,*  
*& corrigenda sit Ecclesiastica disciplina,*  
*quæ*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

quæ depravata harum hæresum magna ex parte caussa, & origo exstitit: denique agendum de sedandis Regum inter se, Principumque discordiis. Quis oculos ad tantarum rerum molem inspiciendam attollens, inde eosdem ad humanarum virium exiguitatem considerandam dejiciens, hoc non intelligat, nequaquam tanto oneri subeundo, ac susstinendo infirmitatem humanam posse sufficere? nec vero hoc deterrendi vestri caussa dicimus; sed ut nostram imbecillitatem agnoscetes ad Dei optimi maximi opem, & misericordiam confugiendum esse statuamus.

Cujus quidem propitiæ voluntatis erga nos, cum alia multa, tum hoc non minimum testimonium habemus, quod Germaniæ Præsules auctoritate, prudentia, pietate præstantissimos in eam mentem impulit, ut tam opportuno tempore, multis, & magnis, quibus impediabantur, difficultatibus consilio, & virtute superatis, ad hanc sacrosandam Synodum accederent. Nos modo contrito, & humiliato corde supplices ejus opem assidue imploremus, quemadmodum paulo ante more majorum, atque instituto fecimus: intimo animi dolore peccata nostra ingemiscamus, atque in bonis operibus, & dignis pœnitentiæ fructibus ambulantes, animas nostras, & corda Spiritui sancto, tanquam Sedes, ac templa munda præbiamus.

Y 5

Maxi-

Saecul. XVI.

A.C. 1551.

*Maxima semper, ut vos minime praerit, Patres, generalium Conciliorum vis, maxima fuit auctoritas, nec enim dubium est, quin eis, modo recte & ordine habeantur, Spiritus sanctus ipse praesideat, etenim si Dominus noster, ubicunque duo, aut tres in nomine ejus fuerint congregati, in medio eorum se futurum esse confirmavit, quis eum, & sanctum ipsius Spiritum abesse putet ab hujusmodi plurimorum Patrum, & Sacerdotum Conventu iusto, atque legitimo; qui, quemadmodum hic noster, propter causam fidei, & Religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique, & tranquillitatem Ecclesiae sit coactus? itaque talium Conciliorum scita, non hominum magis, quam Dei ipsius existimantur esse decreta. Horum exemplum nobis, primis illis Ecclesiae temporibus, Spiritu sancto pleni Apostoli prodiderunt. Ad hoc remedium majores nostri deinceps gravissimis Ecclesiae temporibus confugerunt. Hoc Arianam illam sectam, toto terrarum orbe diffusam tam inveteratam, tantis studiis, opibusque potentissimorum Principum defensam, hoc Macedonii, Nestorii, & Eutychetis, innumerabilesque alias sustulerunt. Hoc saepe Sacerdotum, & populi vitam, ac mores reformarunt. Hoc Seditionibus, & discordiis aliquando agitatam Ecclesiam in quietum, & tranquillum statum redegerunt, quare magna spe, magno animo Patres,*

*tam*

tam pias aditiones, & tam Christiano nomi- Sæcul. XVI.  
 ni salutare prosequamur. Hoc munus, hæc A. C. 1551.  
 partes, hoc officium nostrum est, qui hanc  
 ob causam ex tam distantibus, ac remotis  
 regionibus in hanc urbem convenimus. Ac  
 primum quidem æterni Dei honor & gloria,  
 & sanctissimæ ipsius fidei, ac Religionis caus-  
 sa nos moveat. Nam cum propter pravos,  
 & corruptos mores, Dei venerationem,  
 cultum & charitatem ubique imminutam; tum  
 vero hæresibus, & impietate dogmatum,  
 veritatem, & sinceritatem fidei nusquam  
 fere non contaminatam, atque pollutam vi-  
 deamus, quis tam ingratus, ac tam imme-  
 mor divinorum munerum, ac beneficiorum  
 erit, qui non Dei benedicti cultum, & glo-  
 riam non ceteris modo rebus anteponat, sed  
 vitam, & anima sua habeat cariorem? qui,  
 ut reliqua ejus in humanum genus beneficia,  
 quæ sunt innumerabilia, & longe maxima,  
 omittamus, tantopere nos figmentum ma-  
 num suarum luteum amavit, quamquam  
 inimici ejus essemus, & eo impie relicto, ac  
 repudiato muta, & fragilia quædam simula-  
 cra coleremus; tamen per unigeniti Filii sui  
 mortem crudelissimosque cruciatus nos sibi  
 reconciliaverit, & sathanæ dominatu, ac pec-  
 catorum mole oppressos, æternisque suppli-  
 ciis addictos, liberarit, atque in filios sibi in  
 spem æternæ gloriæ, & cælestis hæredita-  
 tis adoptarit, quod si ejus honori, & glo-  
 riæ fideles omnes tantopere inservire oportet,

tet,

Sæcul. XVI  
A.C. 1551  
tet, quanto majore studio nos, quos ille sibi  
Sacerdotes elegit, ejus cultum, & Religio-  
nem tueri, defendere, & conservare debe-  
mus? Salus præterea nos moveat anima-  
rum, pro quibus Agnus ille immaculatus  
Dominus noster Jesus Christus suum in ara  
crucis sanctissimum, & pretiosissimum san-  
guinem effudit, quæ cum fidei, & custodia  
nostræ commissæ, & commendatæ fuerint,  
earum incolumitati a nobis cura, & sollici-  
tudine providendum est, si officio nostro sa-  
tisfacere, si nostræ ipsorum saluti consulere  
volumus.

Et quoniam iis, quæ interierunt, ovibus  
amplius subvenire non possumus, demus sal-  
tem operam, ut tum ab ovili Dominico ab-  
ductas recuperemus, tum illas, quæ inde  
non exierunt, diligentius in posterum custo-  
diamus, nec de salute tantum earum agitur:  
nostra quoque ipsorum salus agitur, neque  
perire illæ incuria nostra possunt, quin id  
animabus nostris exitiosum futurum sit, ea-  
rum a nobis rationem in tremendo illo judi-  
cio is reposcet, qui illas sanguine suo re-  
demptas nobis pascendas, custodiendasque  
commisit. Hinc nos viventis Dei mince com-  
moveant, cujus in manus incidere horren-  
dum est, si officio nostro defuerimus: inde  
parata nobis laboris, & sollicitudinis fu-  
turæ merces excitet, si fuerit per nos Do-  
minici gregis saluti prospectum, atque con-  
sultum. Omittamus laudem, quæ ab omni-  
bus

bus non hujus modo ætatis hominibus, sed Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.  
ab omni posteritate sacro huic concilio sine  
dubio maxima tribuetur.

Quamobrem incumbamus Patres toto pe-  
dore, ut ajunt, ad sananda Christiana  
Reipublicæ vulnera: incumbamus, quanta  
maxima possumus cura & diligentia ad eas  
actiones, ex quibus ad Deum honor, ad Ec-  
clesiam salus, ad nos æterna gloria, & fe-  
licitas perventura est, incredibile est, qui-  
bus piorum omnium votis expetitum, qua  
lætitia cœptum, qua exspectatione rursus re-  
stitutum huc fuerit, instauratumque Conci-  
lium: persuasum iis est, & recte persuasum,  
hoc unum esse remedium, quo Ecclesiæ navis,  
jam diu hæresum, & discordiarum procel-  
lis agitata, atque quassata, & cum vi tem-  
pestatis, tum nautarum etiam negligentia  
prope obruta, e periculo eripi, & tuto in  
portu possit collocari.

Reliquum est Patres amplissimi, ut vos  
pro officio nostro admoneamus, tametsi gra-  
vitas, & sapientia vestra minime admonitio-  
nem nostram desideret, ut hæc, quæ pro to-  
tius Ecclesiæ salute agere molimur, in spi-  
ritu lenitatis, & mansuetudinis, quemad-  
modum sanctæ huic Synodo dignum est, a-  
gantur, facessat hinc omnis hujus sacrosan-  
cti cætus majestate indigna contentio, fa-  
cessat omne odium, omnis verborum immo-  
deratio. Sit summa inter nos, ut debet,  
sharitas, summa animorum consensio, sum-  
ma

Sæcul. XVI  
A.C. 1551. *ma concordia. Nemo nostrum, quæ sua sunt, quærat, sed quæ Jesu Christi, denique meminerimus huic Conventui Deum ipsum nostrorum Consiliorum, & actionum omnium Spectatorem, ac Judicem esse adfuturum.*

## §. CXVII.

*Decretum prorogatae Sessionis.*

*Labb. l. c.* **A**bsoluta hac monitione Massarellus Synodi Secretarius quædam recitabat decreta circa modum, quo quisque sese in Synodo gerere deberet. Denique Calariensis Episcopus peracta re divina, consensuque suggestu sequens prælegit decretum, quo proxima Sessio primum post evolutos quadraginta dies celebranda indicitur, his verbis: *Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus eisdem Sedis Apostolicæ Legato, & Nuntiis, quæ in proxime præterita Sessione sequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum esse decreverat, cum ob inclytæ Germanicæ Nationis, cujus præcipue causa agitur, absentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam, procedere hæcenus distulerit; de venerabilium in Christo fratrum, & filiorum suorum, Moguntini & Trevirensis Archiepiscoporum, ac sacri Romani Imperii*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Imperii Principum Electorum, & complurium ipsius, aliarumque Provinciarum Episcoporum sub hanc ipsam diem adventu in Domino exultans, & dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quam plurimos tam ipsius Germanicæ, quam aliarum nationum prælatos, & sui officii debito, & hoc exemplo commotos, propediem esse venturos, futuram Sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit undecima Mensis Octobris proxime sequentis, indicit: & Concilium ipsum in statu, in quo reperitur, proseguendo, cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere, & in Specie de Baptismate, & confirmatione definitum fuerit, statuit, & decernit de sanctissimæ Eucharisticæ Sacramento; necnon quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem, & commodiorem Prælatorum residentiam pertinent, agi, & tractari debere. Ac monet, & hortatur omnes Patres, ut interim Domini nostri Jesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent; ut tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus Deus, corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

Porro in actis Virodunensis Episcopi observatur, quod in Congregatione matutino tempore ante sacrum solemne habita

uce sua  
deni-  
um ip-  
tionum  
sse ad-  
  
is.  
rellus  
reci-  
quis-  
De-  
sta re  
quens  
Sessio  
dies  
Sa-  
riden-  
e con-  
Apo-  
oxi-  
hodie  
m ef-  
anicæ  
r, ab-  
Pa-  
disu-  
trum,  
Trevi-  
mani  
perii

1551  
1551  
1551  
1551

Sæc XVI. habita Calaguritanus Episcopus propo-  
 A.C 1551. fuerit, *in decreto adjiciendam esse clau-*  
 sulam: Sacra Synodus universalem  
 Act. Conc. Ecclesiam repræsentans, non tamen sine  
 Trid. auth. contradictione Crescentii Legati, qui qui-  
 Psal. p. 221. dem Papam esse caput, Synodi vero Patres  
 membra esse agebat, atque ejusmodi clausu-  
 lam in Concilio Constantiensi, dum non erat  
 Pontifex, aut saltem fuerat schisma, ad-  
 hibitam esse demonstratum ibat. Hæc ta-  
 men controversia, in primis Sessioni-  
 bus agitata, hac vice non ulterius ur-  
 gebatur.

## §. CXVIII.

*Montfortius Comes in Synodo  
exceptus.*

Post hæc Montfortius Comes Cæsaris  
 Orator Synodo porrexit Cæsareum  
 demandatæ facultatis diploma, quod  
 Synodi Secretarius prælegit, eoque ab-  
 soluto Comes modeste admodum verba  
 faciens hæc Patribus exposuit: Post-  
 quam Cæsar invictissimus a Julio III. Pon-  
 tifice Maximo Concilium in hac civitate Tri-  
 dentina prosequendum impetravit; omnes  
 tam Imperii Romani, quam Regnorum suo-  
 rum, & patrimonialium Provinciarum Præ-  
 sules hortabatur, monebat, frequenter eti-  
 am orare, ut ad Concilium se conferrent,  
 non destitit, quod equidem, & Præsulum  
 in

in hoc Conventu frequentia, & illustrissimo-  
 rum Sacri Romani Imperii Electorum præ-  
 sentia, vel me tacente attestatur, nec his  
 contentus Cæsar, quo majorem, testatorem-  
 que animi sui erga sacram Synodum propen-  
 sionem ostenderet, præter fidelissimum, &  
 jam dudum hoc munere fungentem Dominum  
 illustrissimum Franciscum a Toledo pro Ger-  
 mania, & Guilielmum Pidaviensem Archi-  
 episcopum ex Hispaniarum Regnis pro patri-  
 monialibus suis Provinciis, alterum me quo-  
 que, licet indignum ex Germania, ad ipsius  
 vices una cum illo hic gerendas, Oratorem,  
 ac mandatariu[m] constituit. Unde magnum  
 animi Caroli Cæsaris invidiosissimi erga Reli-  
 gionem Christianam, ac Germanicæ Natio-  
 nis salutem exstat argumentum. Ut vero  
 voluntati clementissimi Domini mei morem  
 gererem, ejusque jussis obtemperarem, omis-  
 sis rebus omnibus, huc me, quam diligentis-  
 sime potui, contuli, quam ob rem ergo vos,  
 Præsules reverendissimi, ac Patres amplissi-  
 mi, precor, ut juxta Cæsarei mandati te-  
 norem in ejus me Oratorem recipiatis.

Ad hanc orationem Joannes Bapti-  
 sta Castellus Synodi Promotor his ver-  
 bis respondit: Mandatum Cæsareæ Maje-  
 statis, quod modo a Dominationibus vestris  
 exhibitum est, & coram Patribus recita-  
 tum fuit, huic sanctæ Synodo jucundissimum  
 Nuntium attulit, quantum enim in hoc tam  
 universæ Christianæ Reipublicæ salutari ope-

Hist. Eccles. Tom. XL. Z re,

Sæc. XVI.  
 A.C. 1551.

Sæcul. XVI. re, de piissima bujus Religione, & potentissimi Principis animo sibi polliceri possit, A.C. 1551. facile, tum ex ipsius mandati lectione, tum ex personarum vestrarum destinatione intellexit, quare & Dominationes vestras, quas ob singularem earum prudentiam, & Religionis studium magno sibi adjumento fore sperat, grato, & benevolo animo amplectitur; mandatum suæ Cæsareæ Majestatis, quantum de jure potest, libentissime admittit.

Legebatur insuper Romanorum Regis mandatum, unde illius Oratores Paulus Gregorianus Zagabrizæ, quæ Croatiae Metropolis est, Episcopus, necnon Fridericus Vaussen Viennensis Antistes perbenigne admittebantur. Horum etiam postremus sermonem habuit, cui Promotor reposuit ferme eadem, quæ Imperatoris Legato respondit.

## §. CXIX.

*Galliarum Regis epistola Synodi Patribus a Jacobo Amiotto porrecta.*

*Pallav. l. II. c. 17.* Interea Jacobus Amiotus Bellofanensis Abbas, qui unacum Turnonio *Thu. l. 8 n. 3.* Cardinale, & Odetto Silva Galliarum *Rayn. hoc an. n. 27.* Regis apud Rempublicam Legato Venetiis agebat, Tridentum proficisci jubebatur. Hic quamvis eidem injunctum esset, ut nonnisi inchoata jamjam *Pfalmæus in Ad. Conc. Trid.* Sessione accederet, præter omnem tamen

men expectationem in Synodo com-  
 paruit, Regisque Domini sui literas Le-  
 gato porrexit, dicens: Ecce! epistolam,  
 quam Rex Christianissimus ad te, ac  
 Synodi Patres perscribit: Porro illius  
 inscriptio erat hæc: *Sanctissimis, & ob-*  
*servandis in primis in Christo Patribus*  
*Conventus Tridentini.* Acceptis hisce  
 literis Legatus ex Amiotto seiscitabatur,  
 num alia adhuc Regis mandata habe-  
 ret? Ad hoc autem respondit ille: non  
 mihi aliud fuit demandatum præter has-  
 ce literas ab ipso Rege, Regnique Mini-  
 stro subscriptas, ex quarum lectione fa-  
 cile mei adventus causa Tridentum pa-  
 tebit, quapropter illas publice prælegi  
 efflagito. Ergo Præsul, qui Synodo a  
 secretis erat, illas recitare jubetur,  
 eo autem inscriptionem legente, mox  
 Hispani Antistites exclamabant: „ Hæc  
 „ epistola non est directa ad Patres no-  
 „ stros, ex quibus Concilium generale,  
 „ & Oecumenicum, non autem me-  
 „ rus Conventus, seu cætus constat,  
 „ prout tamen hoc nomen *Conventus* si-  
 „ nificat: itaque hæc epistola nec a-  
 „ perienda, minus legenda est.

Equidem Amiotus Patribus congre-  
 gatis persuadere nitebatur, quod hæc  
 vox *Conventus* ab Henrico II. apposita  
 nullatenus debitæ in Synodum venera-  
 tionis deroget, nec apud Latinos Aucto-

Sæcul. XVI res male sonet : eorum igitur auctorita-  
 A.C. 1551. ti potius insistendum foret, quam fini-  
 stræ intelligentiæ, qua Notarii in suis  
 actis hac voce abutuntur : „ Aliunde  
 „ vero, inquiebat Amiotus, Rex Do-  
 „ minus meus in iis, quæ vobis pro-  
 „ ponit, promiscue Synodum vestram  
 „ modo *Conventum*, modo *Concilium*,  
 „ ac nonnunquam *Confessum* appellat,  
 „ nec voce *Conventus* per contemptum  
 „ utitur: de hac autem Regis volunta-  
 „ te persuasi eritis, quamprimum has-  
 „ ce literas benigne aperire, & legere,  
 „ atque ea, quæ vobis proponenda  
 „ sunt, æquis auribus excipere volue-  
 „ ritis. „ Verum Amioti rationes pa-  
 rum Patribus probari videbantur, ut  
 vero huic controversiæ finis imponere-  
 tur, Prælatorum nonnulli his verbis  
 Amiotum interpellabant: *Dic ergo, te*  
*petere, ut legantur sine præjudicio*: Verum  
 ad hæc reposuit Amiotus: „ Hæc mihi  
 „ facultas a Rege minime data est, sed  
 „ duntaxat injunctum, ut hasce lite-  
 „ ras Regis nomine vobis traderem,  
 „ aliaque vobis proponerem, quæ in  
 „ manibus teneo, quapropter illis quic-  
 „ quam addere, vel demere mihi haud  
 „ integrum est, ne Domini mei manda-  
 „ ta transgrediar: de cetero mihi vide-  
 „ tur, haud diutius immorandum  
 „ inscriptioni, quam forte Regis Scriba  
 „ in-

„cautius adjunxit, errore deceptus, Sæcul. XVI. A.C. 1551.  
 „perinde ac si vox *Conventus* puriorem  
 „latinitatem præferret, quam  
 „*Concilium*. „ Verum hanc in rem  
 „ultro, citroque proferebantur Scri-  
 „ptores, qui hac voce in malam æque,  
 „ac bonam partem accipiebant; ferven-  
 „tibus demum hisce Grammaticorum  
 „velitationibus Sessariensis in Sardinia  
 „Archiepiscopus Amiotum his verbis al-  
 „loquitur: *Ergone tu huc venisti, ut con-  
 tra Synodum reclaims?* Ad hæc Amio-  
 „tus sermonem ad omnes Patres conver-  
 „tens duntaxat hæc respondit: „Rogo  
 „vos, me excipiatis; quæ enim mihi  
 „agenda incumbunt, percipietis, cun-  
 „ctaque cum tanta moderatione, re-  
 „verentia, ac submissione esse scripta  
 „cernetis, ut meum sermonem exce-  
 „pisse, certe vos minime pœnitentia  
 „sit subitura, ne tamen vano metu per-  
 „turbemini, declaro, quod nullum  
 „omnino desuper responsum a vobis  
 „expetam, minus vero, quod ea, quæ  
 „vobis proponuntur, vestris tabulis in-  
 „ferantur. „ Ad hæc Præsides in re-  
 „sponsis dabant, se nihilominus eidem  
 „responsuros, quamvis nullum ab eis re-  
 „sponsum sollicitaret. Mox igitur Hi-  
 „spani colligenda esse suffragia exclama-  
 „bant, ac indignantium fufurri tantum  
 „excitabant strepitum, ut vix loquentium

Sæcul XVI  
A.C. 1551.

verba perciperentur, præcipue postquam Legatus æque, ac duo illi Præfides ad Templi sacrarium, ut ibidem privata haberetur deliberatio, secedendum esse ajebant. Ergo hi retro ad Altare majus, ubi Sacristia erat, conveniunt, ibidemque, quid demum hoc in negotio respondendum, agendumque esset, sententias rogant. Intererant quoque unacum utroque Cæsaris Legato Episcopi, qui post maturam mediæ horæ deliberationem, una omnes redibant, ac singuli suas quisque sedes ex ordine suo occupantes per Synodi Promotorem Amioto hoc responsum redderunt: *Doctissime Vir! sacrosancta Synodus censuit, legendas esse Christianissimi Regis literas, rata, in malam partem ab eo non accipi vocem illam: Conventus, quod si forte aliter acciperetur, contestatur habendam esse pro nulla.* Cum ergo Amiotus ad hæc nihil responderet, tandem Regis epistola fuit aperta, ac publice recitata, eaque erat tenoris sequentis.

§. CXX.

*Regis epistola ad Synodi Patres.*

*Henricus divino beneficio Francorum Rex, sanctissimis in Christo, & observandis summopere Patribus Conventus Tridentini plurimam salutem dicit.*

*Hoc imprimis visum est convenire tum cuidam singulari observantiæ nostræ, majorum*

rumque nostrorum in universam Ecclesiam, Sæcul. XVI.  
 tum egregio præterea studio erga Ordinem vestrum, A.C. 1551.  
 Patres ornatissimi, quod apud vos minime nos quidem dissimulandum duximus, quibus causis, quam justis, quamque necessariis non modo adducti, vel impulsus, verum etiam coacti simus, nullum Episcopum, qui nostræ ditionis esset, Tridentum mittere, ad eum Conventum celebrandum, qui esset a beatissimo Patre Papa nostro Julio, indictus, nomine publici Concilii, eaque de causa præscribenda breviter ad vos omnia curavimus. Et quæ pro nobis exponenda, Et quæ vobis ipsis, ista dignitate, ista gravitate hominibus diligenter, Et attente perpendenda videbantur: præsertim cum nobis dubium non esset, valde alienum a sapientia, prudentia, integritate vestra sanctissimi Patres, factum aliquod, aut nostrum, aut alterius cujusvis temere condemnare, quod perspecta, dijudicataque causa vobis facillime probaretur: in iis itaque, quæ pro causa nostra scripta mittimus, sunt, quæ partim communi omnium, partim quæ præcipuo jure aut profiteamur ultro, aut spernantur a nobis, ac deprecamur, necessario quodam, Et explorato pene injuriæ, ac contumeliæ metu, si quis a vobis retineatur humanitatis sensus, aut benignitatis, nimis vehementer, ac præter modum videbimur oppugnari a nonnullis, quibus tamen ne repugnaremus quidem, si liceret nobis ab om-

Sæcul. XVI. ni iustitiæ, atque æquitatis instituto, & sa-  
 C.A. 1551. cepto semel patrocínio recedere.

Sed hæc omnia Sanctissimi Patres non  
 secus, ac honorarii arbitri comiter, ac be-  
 nigne uti audiatis, ab eoque recitari patia-  
 mini, cui has ipsas literas ad vos nulla alia  
 de re reddimus, vos vehementer etiam, atque  
 etiam obtestamur, eaque sic accipiatis obse-  
 cramus, non tanquam ab ignoto, aut alieno,  
 aut adversario profecta, sed velut ab eo,  
 qui hæreditario nomine Maximus, aut sicuti  
 loquimur, Primus, & perhibeatur, & sit  
 Ecclesiæ Catholicæ filius: quo quidem in do-  
 mestico ornamento obtinendo, & in susti-  
 nenda Majorum nostrorum, & virtutis, &  
 pietatis opinione pollicemur vobis, præstan-  
 tissimi Patres, idque adeo nobis sumere au-  
 demus freti benignitate Domini nostri Jesu  
 Christi recipimus, spondemus nos mirificam  
 illorum animi magnitudinem, vigilantiam,  
 sollicitudinem, fortitudinem, religionem om-  
 ni genere præstatueros esse studiorum, offi-  
 ciorumque nostrorum; tantum abest, ut,  
 dum factam; & illatam ab aliis injuriam  
 necessario cogimur repellere, aut traditam  
 nobis a majoribus nostris Ecclesiæ Catholi-  
 cæ charitatem deponere queamus, aut nostra  
 sponte desinere prosequi, quidquid ab ea per-  
 tractatum, decretum, constitutum fuerit,  
 quomodo videlicet ab illa pertractari, decer-  
 ni, & constitui par est: dum ne quid inte-  
 rea sincero, atque integro ab hæreticorum  
 uecor-

vecordia Principi immerenti, atque Inno-  
centi, aut captiosum comparetur, aut con-  
tumeliosum. Sit Dominus noster Jesus  
Christus ipse, qui auctor est, custos, etiam  
Conservator Patres ornatissimi, salutis, in-  
columitatis, dignitatisque vestrae, valete.  
Ex Villa Regia, quae fontis Bellae-aquae  
dicitur, ante diem Idibus Augusti millesimo  
quingentesimo quinquagesimo primo. Sic  
erat signatum, Henricus & inferius Du  
Thier.

Saecul. XVI.  
A C. 1551.

§. CXXI.

Galliarum Rex contra Tridentinam  
Synodum reclamans.

Perlectis hisce literis, quae avidis om-  
nium auribus excipiebantur, Amio-  
tus ad alloquium admissus a Massarel-  
lo Synodi Scriba libellum quemdam  
recepit, in quo Regis protestatio, ut vo-  
cabant, continebatur. Hancigitur co-  
ram omnibus Patribus a nemine inter-  
pellatus recitabat, eratque hoc scri-  
ptum his verbis conceptum: *Hæc sunt  
sanctissimi Patres, quæ post susceptum pri-  
mum æri Parmensis patrocinium a christia-  
nissimo Rege, post exortam deinde ea de re  
gravissimam, sed injustissimam illam quidem  
quærimoniam, post oblatum postremo pro-  
ximum hunc tumultum, & certissimum ci-  
viliam armorum, intestinique belli terrorem  
ostentatum, Rex ipse christianissimus jussit,  
tum beatissimo Patri Papæ nostro Julio,*

Mem. l. c.  
p. 23.  
Psalmaeus in  
act. p. 225.  
Pallav. n. 5.  
Rayn. n. 30.

Sæcul. XVI. tum Sacro Cardinalium Collegio profiteri,  
 A C. 1551. denuntiarique: cum Rex Christianissimus fa-  
 cta quædam sua, quæ non modo reprehensionem nulla, sed etiam summa laude digna  
 essent, trahi tamen, atque vocari in invidiam animadverteret, idque hominum quorundam  
 iniqua interpretatione fieri, eoque dissensionum semina jaci, quæque materiam  
 armorum, illud in primis sedulo curavit, ut quoad res integra esset, Et consilii,  
 Et facti totius rationem illius Sanctitati, Collegioque accuratissime redderet Paulus a  
 Terminus Orator suus vir Equestri dignitate clarissimus, idque Concilio ab eo factum  
 est, ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa  
 satisfactione revelleretur, atque ita imminentibus malis, si repudiata pace occasiones  
 armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, Et quoad ejus fieri posset, tanto  
 ante refutaret: itaque primum omnium illud proposuit, quod fecisset, ut ejus  
 propugnationem susciperet, qui in fidem suam, quasi in portum aliquem confugisset, hinc non  
 videt, qua ratione a quoque jure possit improbari; quippe cum id non magis communis  
 cujusdam esset humanitatis ad incertos, Et rerum, Et temporum casus, quam optimi,  
 maximeque, ac vere Regii, Et liberalis animi officium, nec æquum sit ipsum deteriori  
 conditione haberi, quam ceteros, dum ab eo nihil astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil

hil commodi alicujus sui causa gestum, sed Sæcul. XVI. A.C. 1551.  
 unius Ecclesiæ tantummodo habita est ra-  
 tio, pro perpetua quadam Francorum  
 Regum, ac majorum suorum consuetudine,  
 qui illam ipsam non opibus solum suis excor-  
 narunt, aut armis extulerunt, sed corpora  
 etiam sua, gravissimis illius temporis peri-  
 culis omnibus opposuerunt, idque, quod fie-  
 bat, illius causa ceptum esse, his conditioni-  
 bus est testatissimum, quas ipsas paci,  
 concordiaque constituendæ obtulisset; quæ  
 quidem eo semper spectabant, uti qua de re  
 agebatur, ea res ne Ecclesiæ aliquando, vel  
 surriperetur, vel eriperetur, quam voluit  
 perpetuo juris ejusdem, ditionisque esse,  
 idque unum tantopere contendit. Quæ cum  
 hujusmodi sint, nemo sanæ mentis  
 existimare potest, quæcunque ab eo vel actum,  
 vel susceptum, quod non maximum, gene-  
 rosissimumque Regem deceret, Et hoc loco,  
 Et hoc animo Principem, qui se non modo  
 abstinentissimum præstitit, sed etiam suis  
 maximis sumptibus, ac nonnullo suarum re-  
 rum dispendio Italiæ pacem, otium, liber-  
 tatemque obtulit, Et omni suo studio, co-  
 natuque Ecclesiæ dignitatem, atque autho-  
 ritatem procuravit; præterea palam de-  
 nuntiavit, ac testatus est, si beatissimi Pa-  
 pæ nostri Sanctitas hanc justam esse causam  
 armorum decrevisset, ac proinde Italiam,  
 atque adeo universam pene Europam bello  
 implicavisset, ex quo Ecclesiæ status convul-  
 leretur,

Sæcul. XVI. leretur, tum mores, tum Religio, tum  
 A.C. 1551 dei ipsius caussa in ultimum discrimen addu-  
 ceretur, maximo id quidem suo cum dolore  
 futurum, sed sibi tamen nihil eorum merito  
 imputatum iri, qui omnia ante fecisset, quo-  
 minus illa acciderent, omnesque propterea  
 conditiones, quæ modo & honestæ, & tem-  
 poris illius essent, non solum ferre, verum  
 etiam arripere voluisset, denique Concilii,  
 quod nuper indictum erat, solutionem, quasi  
 ad arma iretur, necesse erat consequi, Regi ta-  
 men minime assignari potest; orat etiam, atque  
 etiam obtestatur enixius summi nostri Pontifi-  
 cis Sanctitatem, consideraret etiam atque eti-  
 am, quanta ex bello semel suscepto damna,  
 atque incommoda Reipublicæ Christianæ im-  
 penderent, eaque, ne evenirent, quod pro pa-  
 ce tuenda facillimum erat, efficeret.

Attamen cum hæc tot, ac tanta ipse  
 pro se per supra dictum illum Oratorem  
 suum egisset, monuisset, denuntiasset, hor-  
 tatus esset, tantum abest, ut illis omnibus,  
 quæ summopere juri omni divino, humano-  
 que niterentur, ullo modo summus Christia-  
 norum Pontifex moveretur, ut cum pacem,  
 tranquillitatemque tueri deberet, controver-  
 sias, dissidia, lites, si quæ ipsis inter se  
 Principibus Christianis essent, vel minuire,  
 vel funditus tollere, otium, atque securita-  
 tem omni ratione celebrando Concilio para-  
 re; Italiae tamen funestissimum bellum con-  
 citare, quo totam mox Europam consti-  
 gravi

ggare necesse est, nova excitare animorum Sæcul. XVI.  
 diffidia, aditus ad Concilium omnes præ- A C. 1551.  
 cludere maluisse videretur, eamque omnibus  
 suspicionem inducere, istam ipsam Concilii  
 Tridentini indictionem non communis uni-  
 versæ Ecclesiæ utilitatis gratia repetitam  
 esse, sed factam potius conditionem cum iis,  
 quorum privatis rationibus, ac commodis  
 illic inserviretur, nullo reclamante, nullo  
 repugnante; videtur certe summi Pontificis  
 nostri Sanctitatem se excludere, ac fructu  
 optatissimi Concilii privari voluisse, idque re-  
 rum initia, progressus, exitus Conciliorum  
 Sanctitatis ejus videntur declarasse, cum illa  
 de causa, nec hoc tempore, nec hoc authore,  
 aut bellum tam perniciosum, tanto universæ  
 Reipublicæ periculo suscipi, aut tanta ejus-  
 dem Reipublicæ jactura, & calamitate geri  
 debuerit. Clari sæpenumero, & admira-  
 bili quadam animi magnitudine Principes dis-  
 simulandis gravioribus injuriis pacem reti-  
 nuerunt, eoque modo restrinxerunt initia com-  
 munitatis incendii. Nunc quæsitæ videtur ul-  
 tro, & adornata, a quo minime debuit  
 flammæ istius perniciosissimæ, ac luctuosissi-  
 mæ materia, cum constituenda fuisset, aut re-  
 vocanda magis exemplo Sanctitatis illius,  
 Concilio ipso jam indicto veteris Ecclesiæ se-  
 verior disciplina, ac species non labe-  
 factanda, aut formanda ea, quæ tum  
 paucissimorum hominum Religione nititur,  
 tum pauciorum multo honestate, ac mori-  
 bus

Sæcul. XVI. A.C. 1551. bus agnoscitur, nec spargenda Christianis Principibus odiorum Semina, nec obijcienda Petri Principis Apostolorum navicula majoribus prope fluctibus, quam unquam ulla majorum nostrorum memoria obiecta est, nec eum ab eo Concilio, quod magnopere expedivisset, interclusis itineribus arceri oportuisset.

Rex perpetuo suo sensu, non modo nomine Christianissimus, cujus cum tanta majorum beneficia in Ecclesiam existant, & ipse in communi fidei, atque Religionis causa non hæserit usquam, nec offenderit, nec titubarit ullo modo, nec animo futurus sit unquam ab Ecclesie Catholice rationibus alieno, facere non potuit, quin apud illius Sanctitatem, apud sacrum Cardinalium Collegium dolorem suum exponeret, ac vere, & ex animo conquereretur, illudque tum querendo, tum precando postulareret, nec alienum existimaret aut suo, aut majorum suorum more, quod deprecaretur quædam, hoc est (ut nunc loquimur) protestaretur ipse, quomodo quidem omnino protestatus est; sicut ab ipso sibi jure permissum esse non ignorabat, videlicet ne sibi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato, necesse esset Tridentum ad Concilium mittere suæ ditionis Episcopos, quippe quibus nec liber, nec tutus eo patet accessus, neve ipsum Concilium, a quo excludebatur invictissimus, Generale totius Ecclesie Catholice aut haberetur,

beretur, aut appellaretur, quin potius pri-  
 vatim existimaretur Concilium, quod vide-  
 tur quidem quaesitum, & expeditum, non  
 reformanda, restituendaque disciplina, nec  
 Sectarum comprimendarum studio, sed qui-  
 busdam obsequendi, quorum privatae utili-  
 tatis magis, quam publica ratio inita esse  
 videtur.

Denique ne Concilii hujusmodi, eorum-  
 ve Decretis aut ipse, aut populus Gallicus,  
 aut ulli Ecclesiae Gallicae ministri in poste-  
 rum tenerentur: immo vero testatur palam,  
 ac denuntiat, ad eadem se remedia, ac praes-  
 idia descensurum, si necesse videretur, qui-  
 bus majores sui Francorum Reges in re con-  
 simili, causaque uti consuevissent, nec sibi  
 quicquam antiquius fore secundum fidei, ac  
 Religionis integritatem, libertate, & inco-  
 lumitate Ecclesiae Gallicanae. Nihilominus  
 Rex profitetur tamen, non haec ita a se dici,  
 quasi aut cogitaret ullo modo, aut haberet  
 in animo meritam, ac debitam a se sanctae  
 Apostolicae Sedi observantiam, & obedi-  
 di conditionem, aut excutere, aut immi-  
 nuere, sed contra operam daturum esse, ut ma-  
 gis in dies se dignum probaret hoc christia-  
 nissimi Regis cognomine, hocque maximi Ec-  
 clesiae, & fidei Protectoris elogio. Animi  
 hujus sui, ac studii propensiones, ad felicio-  
 ra, melioraque tempora reservat, cum sci-  
 licet hoc humano generi, ac praecipue Rei-  
 publicae Christianae summis ipsius, ac po-  
 puli

Saecul. XVI.  
 A.C. 1551.

Sæcul. XVI. A.G. 1551. *puli totius Gallici votis Dei optimi Maximi gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quæ erant parum modeste illata, & motiones componerentur, & hoc modo pax ipsa conveniret. Rex præterea tum ab eius Sanctitate, tum ab ipso sacro Collegio postulat, uti ne moleste ferrent, si suam ipsæ Professionem, inflationem, denuntiationem, deprecationem in acta referri peteret, sibi-que instrumenta his de rebus publice confici, quibus quoties, aut tempora, aut res sue poposcissent, uti posset ad superiorum omnium fidem, sibi-que ut ad singula responderetur, rogat, ut his de rebus omnibus ceteros Christiani nominis Principes, populos, civitates liceret certiores facere. Nunc itaque, sanctissimi Patres, cum vobis promptum sit ac facile, nudum Christianissimi Regis animum, & explicatam, apertamque facti, Consilii-que sui mentem perspicere, potestis etiam statuere, nec hunc Ordinis istius Conventum ab illo sperni, nec auctoritatem, gravitatemque non magni fieri, sed præreptam potius hujus celebrandi facultatem, quod vos ita accepturos confidit, Ornatissimi Patres, ut nec de illius Religione dubitare possitis, nec de animi erga vos, totamque Ecclesiasticam administrationem secus ac commodum est, judicare. In quo uno vestro judicio adversus malevolorum, & iniquorum hominum sermones satis sibi præstidii esse putat, satis adversus Suggillationes*

nes argumenti, ut in sui conscientia, & re-  
 cordatione Officiorum suorum conquiescat. Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.  
 Henricus. *DU THIER.*

Postquam Amiotus hanc oppositio-  
 nem integram perlegerat, mox Pro-  
 motor nomine Synodi eidem hæc re-  
 spondit: *Sacrosancta Synodus gratam ha-  
 bet Regis moderationem, quam præsefert in  
 suis literis, Personam vero tuam Amiote,  
 nisi quatenus legitimæ Synodo nullam præ-  
 judicium affert, minime acceptat, sed te  
 monet, ut ad diem undecimam Octobris te  
 sistas futuræ Sessioni, ut Synodi responsum  
 ad Regis literas accipias: interea inhibet  
 Synodus omnibus notariis, ne instrumentum  
 istius actus vobis, aut alicui tradant, nisi  
 una cum adjectione suæ responsionis, & sui  
 notarii subscriptione, aliter protestatur de  
 nullitate.*

Dato hoc responso Sessio, quæ ad  
 octavam ferme horam pomeridianam  
 protrahebatur, fuit absoluta. Postea  
 Amiotus frequenter Præsides sollicita-  
 bat, ut rei gestæ tabulas per Synodi  
 Scribam ad testandam Legati solertiam  
 erga Regem suum confici juberent, aut  
 saltem unacum Regiæ Epistolæ apog-  
 rapho eadem verba scripta traderent,  
 quæ ipse illorum jussu per Promotorem  
 edixerat, ut ea actis a se ad Regem  
 deferendis inserere posset: Verum re-

*Hist. Eccles. Tom. XL. A a pul-*

Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

pulsam tulit; non enim Patribus consultum videbatur, quod hæc acta ante Synodi responsionem publici juris fierent; Cum tamen Amiotus scire percuperet, quæ tum fuerint proposita, quando Præfides circa responsum Legato promissum deliberaturi secesserant, hinc serotinis horis ipse Nicolaum Psalmæum Viromandensem Episcopum Galliarum Regi addictissimum adiit, a quo tamen haud aliud explorare potuit, nisi tam a Legato, quam ejus Sociis importunius fuisse postulatum, ut Amiotus audiretur. Idem quoque non modo Cardinalis Tridentinus, duo Archiepiscopi Moguntinus, & Trevirensis Imperij Electores, sed ipsi etiam Cæsaris Legati efflictim petebant; quinimo non defuerunt nonnulli, qui Archiepiscopum Moguntinum hæc dixisse referunt: *Si has Regis literas recusatis audire, quo pacto Germanos Protestantibus, qui nos appellant Concilium malignantium, audietis?* (\*) Insuper Comes Montfortius subjunxisse dicitur: „Si Amiotum ad alloquium admittere renue-  
ritis, nomine Cæsaris Domini mei contestabor, eo fine, ut ille audiatur,“ Quinimo ipse etiam Cardinalis Tridentinus gravioribus verbis usus fuggerebat, Re-  
gen

(\*) Hac super re consulendus est Pallavicinus Hist. Conc. Trid. l. II. c. 17. n. 2. qui hæc Pauli Suavis mendacia, & fabulas confutat.

gem neutiquam esse exasperandum per <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
hoc, quod ejus Ministri nec audiantur, A.C. 1551.  
nec illius literæ recipiantur.

## §. CXXII.

*Synodi Legatus ab Amiato salutatus.*

**A**ltera post Sessionem die secunda Sep-  
tembris Amiotus Legatum saluta-  
tum ibat, ac prætermissum a se reveren-  
tiæ officium excusabat, caussatus, sibi  
disertis verbis fuisse inhibendum, ne usque  
ad Sessionis tempus adventus sui causam  
cuiquam manifestaret. Legatus eum  
perbenigne excipiens hæc Amiato re-  
spondit: „Displicet mihi dissidium exor-  
tum inter Papam, & Regem, cum vero  
Pontifici, cujus me servum profiteor,  
quamplurimis titulis obstringar, ea e-  
tiam, quæ eidem magis conveniunt,  
obsequia præstare teneor, hacque ratio-  
ne contra Regem tuum agere deberem,  
nisi continuo studio componendis dis-  
sensionibus intentus, salva juramenti  
mei religione Regis quoque subditis  
omni, quo possum, modo deservire cona-  
rer. Ad hæc reposuit Amiotus: Hæc  
ipsa auctoritas, qua apud summum  
Pontificem vales, necnon sublimis illa  
existimatio, quam hic idem de tuis me-  
ritis concepit, mihi omnino pollicetur,  
præter te nullum alium ad revocandam  
concordiam magis aptum esse, cum pro

A a 2

„utri-

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

„utriusque partis commodo adeo pro-  
 „pensum geras animum. Mox Legatus  
 „hæc subjunxit: Sæpius ad Papam per-  
 „scripsi, verum literæ sunt vox muta, si  
 „autem ipse Romæ præfens adfuisset,  
 „rem ad apertam indignationem mini-  
 „me deductam fuisse arbitror: de cetero  
 „certus sis, summum Pontificem Regi  
 „tuo minime infensum esse, hinc ipse  
 „etiam Rex, cum a sedis Apostolicæ o-  
 „bedientia nunquam se defecturum pro-  
 „fiteatur, nec summo Pontifici, qui il-  
 „lius caput est, venerationem denegare  
 „poterit; Sedes enim Apostolica, &  
 „Pontifex duo sunt, quæ ab invicem se  
 „jungi nequeunt, longe aliter, respondit  
 „Amiotus, quantum in me est, sentio; con-  
 „tingere enim posse arbitror, quod Papa  
 „quidam sit vel Schismaticus, vel hæ-  
 „reticus, vel furiosus, tum enim affirmari  
 „haud valet, quod idem sit Papa, &  
 „Sacra sedes. Verum circa hunc articu-  
 „lum controversia haud ulterius urgeba-  
 „tur. (\*)

Post-

(\*) Nec mirum; Legatus enim tam futilem  
 Amioti responsionem objecta crassa illius igno-  
 rantia facile refellere potuisset: De cetero hæc  
 Legatum inter, & Amiotum re ipsa fuisse propo-  
 sita, minime credas Lector benevole, nam nil nisi  
 luxuriantis, atque in commentis foecundissimi  
 in-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

nis suæ rationem reddere posset : Insuper totam rei gestæ seriem ad Morvillorium libellorum supplicum Magistrum perscripsit, libero profus calamo usus : Porro in hac epistola istum Virum rogabat, ut ipsi significaret, an Rex desideret, ut vel ipse, vel alius proximam accederet Sessionem, responsum a Synodo ad Regis literas dandum recepturus. His Amiotus ea, quæ sequuntur subjunxit : Si ego ad Sessionem eandem sum decernendus, tunc mihi videtur, omnium eorum, quæ gesta fuere, fidem mihi esse transmittendam, de cetero autem rebus longe melius consultum iri existimo, si nullus omnino ad hanc Sessionem mitteretur, cum oporteret quasi litem inchoare, ac totius causæ cognitionem aggredi, tandemque præstolari responsum a Papa, & Mendoza Caroli V. apud sedem Apostolicam Oratore fabricatum, eo potissimum nomine, quod Regis epistola Tridenti perlecta nequaquam sit protestatio ad Synodum directa, sed duntaxat quædam approbatio illius oppositionis, quam Rex per Thermum Oratorem suum Romæ coram Papa, & Cardinalium Collegio interposuerat ; qua autem ex causa id factum fuerit, adhucdum satis haud cognitum est. Data erat hæc Jacobi Amioti epistola Venetiis die octavo Septembris.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

*Edictum Galliarum Regis occasione  
Synodi conditum.*

Præterea aliud circumfertur fragmen-  
tum cujusdam edicti, quod Henricus  
II. Galliarum Rex hoc anno Christi mil-  
lesimo quingentesimo quinquagesimo  
primo die tertia Septembris Fontis bella-  
quæi condidit, & Senatus die septima  
ejusdem Mensis confirmavit: Illius tenor  
erat sequens: „Beatissimus Pater Julius  
„III. Papa, postquam generale, ac Univer-  
„sale Concilium tantopere exoptatum, ac  
„pro bono Ecclesiæ, nec non utilitate  
„Religionis Christianæ a deo vexatæ, &  
„afflictæ necessarium indixit, forte (ut  
„ex bello in nos concitato coniicere fas  
„est) impedire intendit, ne Ecclesia Gal-  
„licana, quæ tamen haud ex infimis  
„Universalis Ecclesiæ partibus est, huic  
„Synodo intersit, proin præfatum Con-  
„cilium, ut deceret, celebrari haud va-  
„leat, præcipue pro reformatione cor-  
„ruptelarum, criminum, ac errorum,  
„qui grassantur in Ministris Ecclesiæ  
„tam in suo Capite, quam in membris:

*Mem. de  
Conc. de  
Trente p. 38.  
Dupin. tom.  
15. p. 97.*

(\*) Verum cuncta hæc veluti fructus  
A a 4 erant

(\*) Hoc edictum a Rege Christianissimo  
fuisse emanatum ægre sibi persuadebit prudens

Lec-

**Sæcul. XVI.** erant progerminati ex illa oppositione, quam Rex Tridenti factam esse credebat, quamvis hæc ipsa haud alium sortita fuerit effectum, nisi quod Franciæ Oratores ad Synodum non fuerint ablegati.

Lector; præterquam enim, quod adeo miserè sit conceptum, ut vix Grammaticalem sensum præferat, insuper prorsus infulse diceretur, quod Papa præpedire voluerit, ne Galliæ Præsules Synodo intersint, ac per eorum absentiam disciplinæ reformationem impedire voluerit. Nonne durante hoc bello Galliarum Præsules, ac Oratores adhuc præsentibus erant? nonne iis etiam præsentibus, & consentientibus reformationis decreta fuere condita, nunquid Regis iussu postea absentibus iisdem Prælati quam plurimæ, eæque saluberrimæ emendationis sanctiones a Synodo pro universali Ecclesia fuerunt promulgatæ? quis dicet, unicæ nationis Episcopis absentibus corruptelas, prout decet, in Universali Synodo emendari non posse? Ergone tunc primum emendantur abusus, quando decretis inferuntur hæc Basileensium Verba: *Pro reformatione Ecclesiæ in Capite, & membris.*

